35 . 4. L. 23. 2
F2

DIVUS HERMENEGILDUS MARTYR

DRAMA TRAGICUM.

:5 . 4 . L 25
13

DIVUS HERMENEGILDUS MARTYR

DRAMA TRAGICUM

MARCI ANTONII DUCCII
E' SOCIETATE JESU.

Actum à Romani Collegii Scholaſticis

IN AULA MAXIMA

Cùm eorum præſtantiſſimi publico
præmio donarentur.

VIII. Cal. Octobris MDCCIV.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Biblioteca del Principe Gabrielli
Roma. 1804.
poi di Pasquale Servi

ROMÆ, MDCCV.

Ex Typographia Cajetani Zenobii,
antè Seminarium Romanum.

SUPERIORUM PERMISSU.

BEATISSIMO PATRI

CLEMENTI UNDECIMO PONT. MAX.

COLLEGII ROMANI RECTOR FELICITATEM.

NE poſt ſonoram quidem, ſed breviſſimam vocis tranſeuntis vitam, æterna oblivione ſepulta deliteſcant eorum

Scholaſticorum nomina, qui victores in doctrinæ certamine ad publica præmia in Romano Collegio vocati ſunt; ęquum, & opportunum duximus, BEATISSIME PATER, *non ſolùm eadem typis committere, ut diù vivant, ſed etiam tuis oculis ſubjicere, ut feliciter, & gloriosè vivant. Ingens equidem fuit ad ſtudia literarum incitamentum, propoſitum literis præmium, verumtamen cuicumque præmium omnium optatiſſimum eſt, ſe ab eo Principe dignum præmio ſciri, quem ſola Virtus ſibi ſperat propitium, &*

ſola

ſola Culpa ſibi metuit iratum. E' celſiſſimo igitur majeſtatis tuæ faſtigio demitte oculos, Mundo univerſo debitos, in Adoleſcentes, qui eruditis hiſce contentionibus, quaſi parvuli Hercules, cum minoribus Ignorantię ſerpentibus decertantes, præludunt Hydræ: hoc eſt, ſe præparant ad ſuperanda Hęreſum monſtra, & ad pernicioſos depravatæ Religionis errores è populorum mentibus exturbandos. Intuere in illis, quaſi novellis arbuſculis, recentem florem Virtutis, quam Culturæ tuæ vigilantiſſimæ potiùs

debent, quam ſuis laboribus: Tu enim illos ad virtutem & inflammaſti exemplo, cùm Puer olim in hac eadem palæſtra, publicum, ob græcæ linguæ peritiam, præmium promerueris; & incitaſti premiis, cùm beneficus Princeps ad hanc munerum largitionem multum contuleris; & erexiſti tui ſpe patrocinii, cùm Pontifex optimus eas ſemper Artes amaveris, quæ Reipublicæ ornamento eſſe poſſunt, & præſidio. Poſtquam autem eos aſpexeris, qui Tibi placere diligenter ſtuduerunt, rogamus, ut vul-

tu,

tu, quo ſoles, miti, excipias tragicum D. Hermenegildi Drama, in ea præmiorum diſtributione actum, quod Tibi in gratiarum actionem, pro collatis in hanc Iuventutem, & in Collegium noſtrum beneficiis, tanquam munuſculum, offerre audemus. Exiguum quidem eſt, ſed gratum Tibi fore confidimus, quia in ſtrenuiſſimo Martyre, & præclariſſimo Rege ſpectabis Te ipſum. Ille enim fortiſsimus Chriſti pugil duo, quæ in rebus humanis maxima ſunt, vitam nimirum, ac regnum neglexit, & impen-

dit: Hermenegildum rurſus intuemur in CLEMENTE, *qui & ſummam dignitatem, ſupremumque in terris imperium diù, totoque animi impetu recuſavit, & vitam ipſam difficillimis Chriſtianę Reipublicę negotiis ita diſtribuit; ut non amplius ſibi, ſed aliis dumtaxat vivere videatur. Permitte demum, ut humillimis obſequiis noſtra addamus & vota. Deſideramus,* BEATISSIME PATER, *ut quemadmodum Divinus Spiritus, in bonum Eccleſiæ ſuæ, voluit, Te regnare vel invitum; ſic etiam jubeat, Te non*

Tibi

Tibi viventem, diù vivere omnium gentium commodis, & publicæ terrarum felicitati.

DRAMATIS

ARGUMENTUM.

LEVIGILDUS in Hiſpania Gothorum Rex, ex Sorore D. Leandri Hiſpalenſis Epiſcopi, ſibi matrimonio junctâ, liberos ſuſcepit Hermenegildum, & Recaredum. Ut autem regnum, in quo vis eligendi regem penes Magiſtratus jam diù fuerat, hæreditarium faceret; omni ſtudio curavit, potenti ſe illuſtrium familiarum propinquitate muniri: quamobrem & ipſe, fato functâ primâ conjuge, ad ſecundas nuptias convolans, uxorem duxit Goiſuintham Toleti reginam, & Hermenegildo natu majori uxorem dedit Indegundem filiam Sigeberti in Gallia Regis. In tota Levigildi domo ſola Indegundis catholicam fidem profitebatur, cæteris omnibus hæ-

reſeos

reſeos Arianæ veneno pollutis. Indegundis conabatur Maritum ad ſanam Religionem traducere, conatu non irrito: Goiſuintha verò vim omnem adhibuit, ut Indegundem ad Arianos pertraheret, atque ad graviores etiam injurias deſcendens, inceſſit illam pugnis, protrivit calcibus, verberibus contudit; juſſitque eamdem nudari, & in lacum perfigidâ tempeſtate mergi, donec patriam fidem ejuraret; ſed fruſtra. Ægre id ferens Hermenegildus, ut Novercæ ſævitiem declinaret, Hiſpalim cum vxore profectus eſt, ubi diviſus à Patre catholicam tandem fidem, veramque religionem ſuſcepit. Pater ſubodoratus eſt, Hermenegildum cum Hiſpanis catholicis, quos nuper ſubjugaverant Gothi, frequentiſſimè agere;&ſuſpicatus occultam in ſe conſpirationem conflari, Novercæ artibus inſtigatus, bellum intulit Filio, qui dùm ſeſe armis

mis inſtruit, & aciem comparat, uterum gerentem Uxorem in montoſam Hiſpaniæ regionem mittit; ibi enim caſtra locaverant Romani Milites, quibuſcum jam ſocietatem injerat: ſed in caſtris Sociorum, dum Indegundis editum in lucem Filium educat, amittit, immaturâ morte deletum. Jamque, Patre toto belli impetu in Filium irruente, Hermenegildus vix ſe ſe defendere poterat; cùm Recaredus, fraterna pietate commotus, in Hermenegildi caſtra penetrat, pacis nuncius, Fratrique ſuadet reditum ad Patrem, & perſuadet. Ipſemet Recaredus Patri Filium ſiſtit ſupplicem, & inermem. Excipit Levigildus Reducem ingenti gaudio delibutus, ſqualloremque ſupplicantis Filii, regii cultus magnificentiâ abſtergit: ſed paulò poſt à Noverca, & à falſis Accuſatoribus, Novercæ in ſcelere adminiſtris, ſtimulatus, cùm metueret Indegundem,

dem, quæ Romanorum caſtra nondum deſerens, Regi ariano novi tumultus ſuſpicionem movebat,& cum multo magis exhorreſceret in Hermenegildo diverſam à patriâ Religionem, Filium catholicum ærumnoſo carceri addicit, jubetque ariano ritu conſecratas dapes capeſſere, & ſacrilega communione Paſcha celebrare. Id conſtantiſſimè reſpuens Hermenegildus, Hiſpali, intempeſtæ noctis ſilentio, pro retinendâ Fidei integritate, Carnifici cervicem præbuit, Martyr regiâ quidem purpurâ illuſtris, ſuo tamen ſanguine illuſtrior.

Ad hæc, poeticæ fabulæ gratiâ, addimus, poſt inopinatum Filii cum Patre fœdus, emanaſſe famam, Hermenegildum ad Patrem rediiſſe, & ad priſtinos errores, & cum fortuna Religionem mutaſſe. Præterea hoc falſo quidem, ſed non improbabili rumore excitam Indegundem, viri-

li

li veſte indutam, remeaſſe in Aulam Regis, ut Hermenegildum ſuum Catholicæ Religioni iterum reſtitueret. Inducitur demum in Actu primo Indegundis, ita Conjugem alloquens, ut ab eo non agnoſcatur, idque, quomodo improbabile non ſit, oſtendit Cardinalis Pallavicinus in ſuo Hermenegildo. Drama dividitur in tres tantùm Actus, non multis ſcenis diſtinctos, nec longioribus colloquiis productos, ut ſerviret tempori, theatro, & brevitati; in eâ enim ætate ſumus, quæ, ètſi faſtidiat longa, etiam bona; tolerat tamen mala, quæ brevia ſunt.

MI-

MICHAEL - ANGELUS
TAMBURINUS
Vicarius Generalis Societatis JESU.

CUm librum, cui titulus: *D. Hermenegildus Martyr, Drama Tragicum à P. Marco Antonio Duccio Societatis noſtrę Sacerdote* conſcriptum, aliquot ejuſdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint, facultatem facimus, ut typis mandetur, ſi jis, ad quos pertinet ita videbitur; cujus rei gratiâ, has litteras manu noſtrâ ſubſcriptas, & Sigillo noſtro munitas dedimus.

Romæ 7. Aprilis 1705.

Michael-*Angelus Tamburinus.*

Imprimatur,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sac. Palatii Apoſt.

Dominicus de Zaulis Epiſcopus Verulanus Viceſg.

Imprimatur,

Fr. Joannes Baptiſta Carus Magiſter, Reverendiſs. Patris Paulini Bernardinii Sac. Pal. Apoſt. Magiſtri Socius, Ordinis Prædicatorum.

Ad corrigenda graviora, quæ irrepſerunt, errata, ſic leges.

Pag.	*Verſu.*	
43	17	*P.* 4. Obtemperandum eſt. *Vox illa* Regi *redundat.*
48	31	ecce, quò tua, quò Virum
45	27	Orbemque ſtat ſuper
65	28	*Melius* turbo vehemens

Cætera errata ſic			*Corriges.*
4	6	vora	vota
13	14	fruror	fruor
15	4	ſubdoratur	ſubodoratur
	9	Teſaurus	Theſaurus
16	30	Dannatum	Damnatum
20	15	Phæbus	Phœbus
22	23	Venioque	Ventoque
31	27	effereatos	efferatos
40	20	Ommitte	Omitte
	27	Arcere	Arcete

Alia his ſimilia, & perperam interpuncta tute corriges.

PERSONÆ.

LEVIGILDUS Rex *Georgius Boſdari Sem. Rom. Con.*

HERMENEGILDUS Filius Regis natu major. *D. Alderanus Cybo ex Ducibus Maſsæ, & Carraræ.*

RECAREDUS Filius natu minor *Comes Ludovicus Baldeſchi Sem. Rom. Con.*

INDEGUNDIS Uxor Hermenegildi virili habitu *Comes Benedictus Buſſi.*

PRINCIPES REGNI.

D. Franciſcus Spinelli Princeps S. Archangeli.

D. Robertus Ab Altæmps ex Ducibus Galleſii.

D. Marcus Ab Altæmps ex Ducidus Galleſii.

Marius Falconieri.

ERNESTUS Dux Militum Hermenegildi *Comes Io. Petrus Arrivabene. Sem. Rom. Con.*

DINOSTHENES Præſidii Regii Præfectus *Melchior Falzoni Sem. Rom. Con.*

PRÆFECTUS AULÆ *Antonius Lancetta.*

CON-

CONSILIARII.

MANFREDUS *Io. Baptiſta Papi.*

ALARICUS *Petrus Alexander Caſtellani.*

POTENTES AULICI.

DRUIDAS *Marchio Antonius Cauriani. Sem. Ro. Con.*

CHRISAURUS *Cæſar Ceſarini.*

RODULPHUS Comes, & Cuſtos Indegundis. *Marchio Hieronymus Belcredi Som. Rom. Con.*

ANIMA Filii Hermenegildi, & Indegundis *Baro Perſeus Circi.*

EPHEBI.

Comes Albertus Buſſi.

Philippus Papi.

Comes Innocentius Buſſi.

Ioſeph Caſtellani.

MILITES.

Antonius Rota.

Ioannes Martini.

Vincentius Caſtelli.

Ioannes Malocardi.

Fabula agitur Hiſpali.

Nomi-

NOMINA SCHOLASTICORUM COLLEGII ROMANI,

Qui in Rhetorica, in Humanioribus Litteris,& in Grammaticâ præſtiterunt cæteris, & publico ſunt præmio donati.

EX CLASSE RHETORICÆ.

In Soluta Numeris Oratione.

Franciſcus de Lellis. Sem. Rom. Alumnus.
D. Carolus Albani CLEMENTIS XI FRATRIS FILIUS.
Leonardus Adami Sem. Rom. Alu.
Joannes Lazzarini ex Pia Orphanorum Domo.

In Vincta Numeris Oratione.

Franciſcus Montelatici.
Heronymus Belcredi Sem. Rom. Con.
Franciſcus de Lellis Sem. Rom. Alu.
Joannes Petrus Arrivabene. Sem. Rom. Con.

In Lingua Græca.

Demetrius Giorgugli Al. Coll. Græci.
Venantius Philippus Pierſanti.
Jo. Baptiſta Laudiſi.

EX

EX CLASSE HVMANITATIS.

In Soluta Numeris Oratione.

Dominicus Perfetti.
Dominicus Palmieri Coll. Salviati Alum.
Jo. Baptiſta Caponeri.

In Vincta Numeris Oratione.

Jo. Carolus Salvioni.
Dominicus Palmieri Coll. Salv. Alum.
Philippus de Comitibus.

EX PRIMA CLASSE GRAMMAT.

In Soluta Numeris Oratione.

Petrus Ioſeph Conti.
Antonius Catiffori Coll. Græci Alum.
Lucas Cantarelli.

In Vincta Numeris Oratione.

Petrus Paulus Marcolini Sem. Rom. Con.
Franciſcus Maria Cagnani.
Diomedes de Iannutiis Sem. Rom. Con.

EX

EX SECVNDA CLAS. GRAMAMT.
Jacobus Philippus Conſtantini.
Petrus Philippus Ferrantini.
Bonaventura Piſani.
Jo. Franciſcus Santarelli.
Auguſtinus Pagnoncelli.
Alexander Landi.
Perſeus Circi.

EX TERTIA CLASSE GRAMMAT.
Ioannes Baptiſta Carriera
Felix Ramoni.
Laurentius Fortunati.
Petrus Manſuini.
Ludovicus Bambacini.
Bernardus Mambor.

In præmium diſtributa ſunt ſelecta tum antiquorum, tum recentium probatiſſimorum Authorum volumina elegantiſſimè concinnata, typiciſque prælis celebrioribus impreſſa: & ingentia Numiſmata ex ducto craſſiora in ſtamina argento,

ACTUS

ACTUS PRIMUS
SCENA PRIMA.

Recaredus, pacis Internuntius, ſiſtit Levigildo Regi Hermenegildum ex acie deductum, qui Patris ad pedes inermis advolvitur.

Lev. Her. Rec. Manſ. Alar. Ern.

Rex in Solio ſtipatus Aulicorum Corona.

H. ADſum, & Parentis Natus amplector pedes
Exutus armis.
Proiicit ad pedes Patris gladium.
Si meum fraus, ſi dolus
Sitit cruorem, ſi novercalis furor;
Pectus pateſcit. Do latus nudum, hauriant,
Avidamq; noſtro ſanguine extinguant ſitim:
Hìc cadere, Patris inter amplexus, placet:
Genitoris inter oſcula, hic liceat mori.
Ma. Audi Gothorum Rector orantis preces,
Erige jacentem: pande jactatæ rati
Belli procellà, patrii portum ſinus.
Brevis minantis ira Genitoris vocat
Natos fugaces, excipit reduces amor.
Le. O' Nate, nate: *H* O' Genitor: *L.* O' Sãguis meus,
O' Germen Hermenegilde Regalis domus,
Et dulce pignus: genibus implicitæ manus
Collum Parentis ambiant: profugos diù
Oſtende vultus. *H.* O' Pater. *L.* Certæ ſpei
Securus ardor, & tuo in vultu, metus
Sine nube, fulgens, credulum Patrem probat,
Et innocentem Filium: nunquam induit
Hos culpa vultus, nec ſub ingenuo latent

Candore fraudes. Vera narrabas Patri
Recarede. *Re.* Inermē Filium agnoſcis Parens:
Armatus etiam viſus eſt Regis mihi
Proles, meuſque frater. Imperio tuo,
Pietate noſtrâ motus ancipitem gradum
In caſtra fratris intuli, belli arbiter,
Idemque pacis nuncius. Vidi truces
Tlmuique vultus militum, vidi pavens
Ferri reflexâ luce trepidantem diem,
Et ſpiculorum ſegete inhorreſcens ſolum.
In bellicoſo cernere armorum Duce
Hoſtem putabam; repperi Fratrem: caput,
Et ære forte pectus incluſum cavo,
Eratque ferro fulgurans Hoſtis manus:
Vultus, animuſque Flii. Frontem nigra
Nubes doloris texerat, nullis minax
Fulminibus iræ: pallidæ ſolum genæ,
Ut verna roris ſpargitur nimbo roſa,
Maduere fletu: tantus exarſit dolor,
Quòd ſe novercæ fraude, famulorum dolo
Ab amore Patris diſtrahi ſenſit ſui:
Jam juvenis animo ſederat potius mori
Sub hoſtis enſe, ſive præcipiti via
Inhoſpitalis Caucaſi æternas nives
Penetrare ſemper exul, & ſemper vagans;
Quàm Martis armis impii juſtas Patris
Laceſſere iras; ſed ubi, ſperatæ audiit
Me ferre pignus pacis, è manibus ſtatim
Projecit arma, & oſculum fratri dedit:
Ante ora, & oculos militum ſletimus diù
Lacrymis madentes mutuis, amplexibus
Et implicati mutuis: ipſum quoque
Manſuevit agmen barbarum, & ſenſus pius
Armata pepulit corda, queis nunquam cruor,
Fœdumque bellum, lacrymas movit tamen
Pax

Pax ipſa fratrum : lacryma pulvereas genas
Injuſſa lavit. *Lev.* Suaſit, ò Fili, tuo
Si flere pietas militi : cogit Patrem.
Ejectus olim, major in Patris ſinum
Amor reverſus, occupat totum; nihil
Odio relictum eſt, ipſa perierunt ſimul
Veſtigia iræ. Regis ad nutum citi
Properate famuli : veſtis ignivomi rigens
Auri metallo ſquallidos artus tegat :
Et cum redierit aureum mundo jubar;
Meam Senatus Principum prolem frequens
Regem ſalutent, & ſalutato ferant
Conſueta dona. Regium juſſum celer
Alarice capias. *A.* Facilis imperium ſequor.
Her. Superis, tibique debitas grates Pater
Rependo. Sponte dona tot nato dedit
Paterna pietas; impetrent aliquid preces,
Meamque cumulus hic voluptatem augeat.
Ignoſce Sociis Genitor : his nunquam fides,
Amorque nunquam defuit: nati fugam
Per tot ſequuti, perque fallaces vias,
Regi fidem, Natumque ſervarunt Patri.
Lev. Tui ſequaces, non tuæ ſortis viros
Laudo, atque amicos rebus in duris. Bono
Tuo fruatur, qui malo indoluit tuo.
Er. O' Patris animum regium, & ſimilem Deo.
A Rege læſo quando vix poterat reus
Sperare veniam, præmium laudis tulit.
Laudas ſequutos filium? Rex, quàm bene
Hac lenitatem laude commendas tuam!

SCENA II.

Alaricus Goiſvinthæ novercæ in ſcelere adminiſter, felicem reditum Hermenegildi extimeſcens, cum Druida, & Chriſauro de opprimendo Principe deliberant.

Ala. Drui. Chriſ.

Al. ABiere in auras vora, & in portum tulit
Procella navem: rediit: & Regno, Patre
Exul Superbus, Regii plauſu laris,
Dolore noſtro fruitur. En tandem tenet
Junone nolente Hercules cælum novus,
Jaculetur unde fulmen in noſtrum caput.
Jam regnat Hermenegildus, & juſſu Senis
Diadema luce gemmeâ vincens diem,
Veſtes ſuperbas, & epulas Juveni paro,
Mihi ruinam; namque fęmineus furor,
Indocilis, acer, memet occultam jubet,
Impellit, urget ſtruere privigno necem,
Uno licèt cadente, Levigildi domus,
Et tota rueret Aula. Quam partem ſequor?
Cui pareo? *Ch.* Quem ſequitur inversâ rotâ,
Fortuna ſequere. Deſere iracundam Anum,
Lunæ ſeneſcens deſere occiduæ jubar,
Triſti cometen deſere ardentem face,
Dum ſol Gothis exoritur, & radians dies.
Al. Quid fluctuanti ſuadeas animo, precor,
Exprome Druida. *Dr.* Ruere quà cępit furor
Eat: timenda criminum non eſt via
Spatioſa magis in fine: quo ſtamus, loco,
Progreſſus anceps, reditus eſt certò nocens:
Fac, dura noſcat nos reluctantes ſuis

No-

Noverca votis; quod ſpecus nemorum latens,
Deſerta mundi quæ recedentis plaga
Everberandos angue furiali teget?
Quid non movebit quarta Dirarum ſoror?
Ch. Defendet Hermenegildus. *D.* O'Demēs caput,
Ergo ne poſt tot ſcelera, poſt omnes dolos,
Juſque omne ruptum, mille promeritus cruces
Pręſidia ſperas? *Ch* Supplici ignoſcet Reo.
Dr. Securitati conſulet primùm ſuæ.
Timemur: & ſperare non potuit reus
Veniam timendus. Eſto, condonet ſcelus
Juvenilis ardor; fęminæ rabies vetus,
Odiumque parcet? *Ch.* Unguibus ſectis feræ;
Omnique vulſo dente, regnatrix Tigris,
Quamvis cruorem ſitiat, è noſtris nequit
Haurire venis Sanguinem: mecum potens
Alaricus abeat, abeat & fraudum ſciens
Scelerumque Druidas, quid poteſt mulier ſuis
Deſerta famulis? *Dr.* Pars quota ingētis ſumus
Vaſtique regni? Capite truncato ſtatim,
Regalis Hydra proferet capitum nemus.
Fœcunda Monſtris Aula non unquam caret
Scelerum miniſtris: refugis? innumeri ambiūt
Quod refugis: & ſi placeat imprudens fuga,
Regina fiet hoſtis, & nunquam tibi
Amicus Hermenegildus. *Ch.* Immodicè furit
Noverca. *Dr.* Durè, atrociter, ſtultè. *Ch.* Scelus
Mandat. *Dr.* Pudendū, turpe, ſanguineū, ferox;
Sed perpetrādū. *C.* At Innocens Juvenis. *D.* Sine
Fraude, ſine labe, victima eſt maculis carens;
Sed enecanda, muliebribus odiis ſacra.
Ala. Hinc Scylla latrat, hinc maris fluctus vorat
Charybdis. *Dr.* Atque media deterior via eſt;
Cum non ſit audax, providus non ſit ſatis
Illam ſequutus. *Al.* Igitur in durum minus

Scopulum ruamus impigri : fiat ſcelus .
Ch At forte tumidum Principem fauſtâ, frequens
Cui ſervit Aula, & militant belli Duces,
Quâ capere poteris arte? *D*. Qui ſcandit jugum
Summumque Olympi verticem, nullis licet
Poſſit procellis obrui ; labi poteſt :
Montis tonante celſior nube eſt apex,
Sed lubricus, præcepſque ; fortunæ tenet
Culmen ſuperbus, opprimi bello nequit,
Martiſque nube, & fulmine; eſt fallax tamen,
Suiſque ſcopulis horret excelſus locus .
Odium Novercæ, ſuſpicax Animus Patris,
Subita Indegundis conjugis ad hoſtes fuga,
Et quod ſupra eſt, Romana Privigni fides .
Ibit tot obices inter illæſo pede ?
Si nutet ille, noſtra nutantem manus
Impellet . *Al*. Apta conſilia Druidæ placent.
Ch. Sequor, proboque, quod doces . *D*. Etſi nihil
Offendat audax, ſtetque præcipiti viâ ;
Superandus ego ſum : mille poſt diſcrimina :
Supereſt periclum maximum, Druidas; habet
Hic virus, arma, funus, & quidquid nocet.
Peribit. . . Altos aëris calles terit.
Utinam volaret altius ! prædam juvat
In rete noſtrum trahere, ſed caſu gravi .
Peribit . Hoc non eſt ſatis . Ab alto ruet .

SCE-

SCENA III.

Emanaverat fama, Hermenegildum cum fortunâ religionem mutaſſe; Indegundis è caſtris ſociorum Romanorum, relicto ibidem parvulo filio, ad conjugem revertitur, domuique regiæ jam proxima, expectat Rodulphum comitem, quem inveſtigandæ rei cauſa, in Aulam præmiſerat.

Indegundis.

CAſtris relictis, horridam bello magis
Viſura pacem, Conjugis ſedem peto.
Veſtes viriles indui, mentem indui
Nondum virilem: prodit uxorem timor,
Totamque Matrem: Parvus heù! natus feros
In alpe vagit inter armorum ſonos,
Matremque quærit ille, dum quęro Patrem.
Turpi Maritus deſerit Chriſtum fugâ;
Et ego Maritum, prole desertâ, ſequor
Genitrice melior uxor. O' utinam foret
Ea fama mendax: itineris longi comes,
Rodulphus utinã, inquirere hanc juſſus, mihi
Lętus rediret nuntius. Spero, mei
Experta ſtabilem Conjugis toties fidem,
Animique robur tale, quod nequeat capi
Splendore regni,& nulla quod ſubigant mala.
Sed ecce dubiâ fronte Rodulphus redit.

SCENA IV.

Nuntiante Rodulpho, diſperſum de Hermenegildi à fide defectione rumorem, conſtanti famâ celebrari in Aula; Indegundis juſto dolore in Conjugem accenditur, & à Rodulpho viam adeundi Hermenegildum diſcit.

Rodul. Indeg.

Ro. DEſideranti ſæpe mentiri ſolet,
Raró timenti fama. Vulgatum malum
Crede Indegundis. Vir redux patriæ gradus
Aulæ ſupremos occupat; dorſo chlamys
Saturata fulget murice, & multo ebrios
Crines amomo regię vittę nitor
Allambit; Hermenegildus inviſus Deo,
Charus Parenti regnat, excuſſo jugo
Fidei latinæ: pacis & pretium eſt ſcelus.
Undè regredior, hos Aula rumores ſerit.

In. O' dura ſortis fata! non angit viri
Ærumna nuptam, lacrymas nuptæ ciet
Felix maritus. Occupat Regnum Patris
Induta proles purpuram? ò utinam ſuo
Inebriaſſet ſanguine iratas manus
Patris, & Tyranni. Si maritali toro,
Si Rege vidua, Martyris conjux forem.
Sic igitur Hermenegilde, ſic fallis fidem?
Quoties parentem nuncupabas me tuam,
Me duce, reverſus agnus ad Chriſti gregem?
Nunc forte èt Uxor abnegor. Quoties, meum
Mutabit animum nulla, dicebas, dies?

Quam.

Quamvis trecentas Genitor intentet cruces,
Tenax, & immutabilis, conſtans ero.
Heù! Fortis ille cecidit, impulſus levi
Honoris aurâ. Sentio nunc, ſentio,
Cur juſſerit me capere deſertor fugam,
Et ſaxa, & hyemes, atque inacceſſę jugum
Alpis habitare; nempè ne teſtis foret
Uxor pudendi ſceleris, & nullus nocens
Prohiberet auſum. Fallitur conjux: adeſt,
Adeſt ab Alpe, turpe quę facinus viri
Exprobret, & pudoris accenſa face,
Emaſculatum pectus, & vultum coquat.
Redeo: flagellum ſentiat, noſtrum abnuit
Si ferre frænum. Redeo: breve ſupereſt iter.
Ro. Quò quò Indegūdis te dolor vehemens rapit?
Ad conjugem quę verba? *In.* Fregiſti fidem
Perfide: caducis poſthabes rebus Deum,
Inſane. Patris captus es donis, iners,
Ignave, vecors. *Ro.* Quid tibi conjux? *In.* Virū
(Hoc volo) pudebit criminis. *Ro.* Sed ſi pudor
A perpetrando revocat, ut frænum, malo;
Jam perpetratum crimen, ut clypeus tegit,
Augetque. Caveas, deſerat ne te quoque
Deo relicto; currit obliquas vias,
In ſaxa cęca flectit errantem gradum:
Tamen reduci devius conjux poteſt,
Sed abſque ſtrepitu; namque fugienti fragor
Nocet, & ſequaci: fit fugax diſtans magis,
Sequax ruit plerumque. Venturâ die,
Cum dona reduci filio Proceres dabunt,
Duceſque Regni; ad conjugem facilis tibi
Patebit aditus: voce tunc blandâ allice
Aures mariti, & ſemet in pectus fluens
Inſinuet altè ſermo. Palpatam prius
Prædam teneto, dein trahes. *In.* Monitū ſequor,

Tuiſque me, Rodulphe, conſiliis rege.
Dum certat Aula Regis auguſtas manus
Cumulare donis, fare, quod munus feram?
Ro. Mihi eſt Imago, doctus Artificis labor,
Pretioſus auro, luce gemmarum nitens,
Hanc ferre mecum ſoleo. (Picturam Puer
Oſtende) pœnas ſimulat effigies tuas,
Et te, ſerenâ fronte ſubeuntem lacus
Glacialis undas, cum tibi horrendum intonans
Noverca falſum dogma ſuaderet metu,
Aſpice. *Ephebus porrigit Imaginem.*
In. Sed iſthęc deteget memet viro
Imago. Similis dantis, & doni color,
Eademque prorſus forma noſcenti alterum
Utrumque prodit. *Ro.* Immo te prorſus teget
Imago minimè ſimilis. Heu quantùm modò
Differs ab illa: fugit à vultu nitor
Dolore pulſus, durus extinxit labor
Decus omne frontis, & tenue veſtigium
Formæ prioris arte cælari poteſt.
Mihi crede, qui putabit uxoris ſuæ
Hos eſſe vultus, conjugem temet ſuam
Idem negabit. *In.* Vado, jam donum placet.

SCENA V.

Hermenegildus, regio cultu ornatus, in ſolio accipit munera Levigildi juſſu oblata ab Aulæ Principibus. Erneſtus dona in menſâ diſponit.

Her. Rec. Principes. Ern. Præf. Aulæ.

Rec. Frater, Regni blanda voluptas,
Longumque tui populi votum
Fulgente redis clarior aſtro,

So-

Soliſque novi pulchrior auro.
Nunc tibi reduci larga Parentis
Rutilum donat dextra monile.
Textilis auri gemmea dona
Referunt placidos Iridis arcus,
Certa ſereni ſigna diei,
Omina ſtabilis ſplendida pacis.

Aureum monile donat.

He. Donum Parentis oſculor. Ferro graves
Odium catenas cuderat, ſed nunc amor
Me vincit auro: nodus hic auri tamen
O' frater, animum fortiùs ſtringit meum.

Princ. 1. Regia proles Hermenegilde,
Te ſine, triſtis palluit Aula,
Te ſine, lugens horruit æther.
Sed jam patriis redditus oris,
Reddis Regno dulce ſerenum,
Longique fugas nubila luctus.
Nunc tua redimat tempora ſertum,
Quod gemmarum fulgore nitens
Unda rigavit pretioſa Tagi.

Regium diadema donat.

H. Amice, doni gemma ſplendidior tui
Eſt tua fides: auferre prædator nequit
E'capite Regum ſerta, quæ gemmâ hac nitent.

Pr. 2. Quamvis reditus tuus, ò Princeps,
Tulerit ſecum gaudia pacis;
Cape Belligeri munera Martis.
Pax è mediis naſcitur armis,
Otia pacis bella tuentur.
Lucet capulo gemmeus enſis,
Lucet nitido Baltheus auro;
Lucemque latus Principis addet.

Balthεum, & gladium donat.

H. Pretioſus ornat enſis, & munit latus:

Si terret hoſtes, muneri nil deeſt tuo.
Pr. 3. Hyemem belli, dilapidantem
Flores, noſtris pepulit terris
Remeans Sydus, tempora pacis
Tranquilla vehens. Sol blande tui
Cape divitias veris odoras,
Natoſque tibi collige flores.
Florum argentea Vaſa offert.
H. E' flore fructus uberes pacis leges.
Pr. 4. Aurea redeunt ſæcula Regno,
Et temporibus melior priſcis
Fuit illa dies, quæ læta ſuum
Hermenegildum reducem vidit,
Aurea poſcunt tempora munus
Aureum, & ideo tibi donamus
Pocula fulvo clara metallo.
Pocula aurea largitur.
H. Aurea redundant vaſa lætitiæ mero,
Inebriantque cordis arcanos ſinus.
P. A. Audi recentes advenæ voces viri:
Augere cuperet munera,& tecum loqui.
R. Recedo frater, dona narrabo Patri.
Her. Annuo.

SCE-

SCENA VI.

Indegundis virili ſub veſte latens, nacta opportunitatem alloquendi Hermenegildum, conjugi imaginem exprimentem ipſam Indegundem verberibus percuſſam, & in lacum, juſſu Goiſvinthę, immerſam offert; eo conſilio, ut imagine conſtantiſſimæ fę minæ maritum incoſtantem, tacitâ quadam objurgatione, arguat. Indegundis veſte, atque etiam, propter puerperii, & fugæ, & incommodorum labores, oris habitu mutato, non agnoſcitur.

In. Her. Paſ. Aul.

In. VOcatus nominis magni ſono;
Et pervagatæ ſplendidâ famæ tubâ;
Adſum ò Gothorum lumen, & vultu fruror
Satiante vota. Gratulor Regno ſui
Principis amorem; Principi Regni fidem:
Et tenue munus, ſpecimen obſequii leve,
Devoveo ſupplex. *H.* Mentis excelſum decus
Admiror hoſpes: metuit, & ſperat nihil,
Donatq; quod non tribuat aut ſpes, aut metus.
Dives metallo munus, & gemmis placet:
Sed, fare, cujus exprimit vultum color?
In. Mulieris inflexibilis, intrepidæ, viro
Robuſtioris. Hæc Tyrannorum minas;
Hæc blandientis fortis illecebras breves
Generoſa ſprevit; ſtrenua & Chriſti pugil
Ne veritatis violet æternum jubar,
Fideique jura; vincula, exilium tulit.
He. Cur fluctuantem pingitur juxtà lacum?
In. Gelidis in undis, calce percuſſum prius,

Sæva-

Sævâque raptum dexterâ riguit diu,
Muliebre corpus. *H.* Cur coronatur caput
Fulgente ſerto? *In.* Regium eſt. Regno quidem
Regina pulſa eſt, hæc ſed illuſtris fuit
Jactura regni: regios fugit lares,
Opes & Aulæ, fronte quã tu non redis
Ad Patria ſceptra: gaudium, credas mihi,
Magnæ voluptas exulis vicit tuum.
Fugam triumphum reputat, & dives Spei
Concepit animo regna, quę nunquam effluunt,
Hoc queſta ſolùm, quòd ea non voluit ſequi
Exempla conjux: fulgor Imperii fugax,
Illumque inanis muricis vanus decor
De ſede movit: exuit ſtultus fidem,
Habuitque cælum vilius terrâ, & luto.
H. Si nupta mulier, fare, quod nomen Viri?
In. Fallax, doloſus, perfidus, demens, iners,
Rebellis, oſor Numinis, truncus putris,
Et concoquendus igne Tartareæ plagæ,
Conjux vocatur: nec ſatis tantum explicant
Tot verba crimen. *H.* Nomen inquiro viri
Non crimẽ. *In.* (Ecce jam notat vultum pudor:
Audire nollet iſta: ſermonis piget
Illum mei: hac hac parte pulſandus mihi eſt
Turbatus animus.) *H.* Fœminæ nomen doce.
In. Faſtidientem regna, non Fractam malis,
Miſeram beatam, Pauperem ditiſſimam,
Lætam exulem, prudenter Inſanam, Decus
Veræque fidei Columen, excelſam, inclytam,
Fortẽ, Indegundẽ nuncupant. *H.* hilaris, vaga,
Inſana, ſapiens, impavida, felix, inops, (refert.
Hæc Indegſidis? Quæ? *P. A.* Huc gradũ Genitor
Viſurus, Hermenegilde, donatas opes.
H. Quæ me latent, arcana, cum remeat dies,
Docebis Hoſpes muneris memorem tui.

SCE-

SCENA VII.

Levigildus cum omnibus Aulicis ſpectat dona, & eiſdem coronat Hermenegildum : ſed viſâ, inter dona, Mulieris chriſtianæ imagine Arianus Pater turbari incipit : quià verò ſubdoratur eam picturam Indegundis imaginem eſſe, illam execratur, & flammis addicit.

Lev. Rec. Princ. Er. Her. &c. Manſ. Alar.

L. MUnus Deorum dulce, pretioſus Patris
Teſaurus, Hermenegilde, non unquã tibi
Paria rependent pretia, pro meritis, Gothi;
In Te licet fluenta derivent Tagi,
Et Gange toto regium irrorent ſinum.
H. Nato ſatis dedere, ſi reddant Patrem:
Hoc vota munus, & merita vincit mea.
Le. Ubi dona? *E.* Fratri Frater hoc primùm dedit
Monile. *He.* Amoris munus eſt Genitor tui.
Le. Agnoſco Amoris pignus, & pacis notam,
Donumque Regis.
Pater torquem filio in collum imponit.
Hoc per ingenuum fluat
Monile nati pectus, & collum ambiat.
E. En fulgurantis balthei flavum decus,
En fulminantis gemmeum gladii jubar.
L. Hæc arma tutum protegant nati latus.
Præcingit baltheo, & gladio filium.
E, Diadema Rex quod noctis opulento faces
Splendore vincit, aſpice. *L.* Inſignis, nitens
Placet corona.
Imponit capiti filii diadema, & ſibi plaudit.
Fronte quàm pulchrè tuâ
O Na-

O' Nate ſplendet! quàm bene exornat comam!
Nunc te libenter lumina aſpiciunt mea,
Nunc prole fruitur Genitor, & largè mihi
Videor beatus. Principes, & vos Duces,
Regnique Proceres, Imperatorem, Arbitrum,
Regemque veſtrum, Patris Hæredem ſui
Hunc colite. *H.* Pietas quem coronavit Patris.
L. Quę nã ſuperſunt dona? *E.* Quot vernent, vide,
Puri nitentes inter argenti nives,
Opes agrorum. Pocula impleri Tagi
Videntur amne, clara ſic auro micant:
Sed dona veris ſuperat Artificis labor:
Huc verte lumen Rex.

Levigildus viſam imaginem exhorret.

L. Coloratas genas,
Animuſque vultus barbaros horret meus.
Mihi, neſcio quos, afflat algentes metus,
Mihi, neſcio quas, triſtis intentat minas
Imago. Cujus eſt? *M.* Pharetratæ Deæ
Vultus videtur: Stagna Dianam indicant.
Lev. Manfrede Regem decipis: Proſerpina
Viſa eſt mihi: ſunt ora Dianæ quidem,
Sed inferæ. Hermenegilde quã miſſum manu
Ferale munus? *H.* Hoſpitis munus viri.
Le. Teneo: figuram fęminæ, quam flammeis
Latinus error Martyrum adſcribit choris,
Donavit Hoſpes credulus. Migret procul
Horrenda facies. *H.* Pingitur telâ, Pater,
Regina fortis, mulier, & major viro.
Le. At Hoſtis, at Romana. Dannatum caput
Eliminate. *Ala.* (Nunc dolos, nunc advoca
Fraudes, & aſtus anime: quod caſus dedit,
Arripe nocendi tempus, & donec calet
In igne ferrum, cude. Levigildus timet
Peregrina dona: Regis augebo metus.)

Hæc

Hæc quæ ſequuntur in aures Regis dicit.
Oblata nato tela, niſi fallor, refert
Rex, Indegundem, lumine attento lege
Vultus Latinos. *L.*
Contemplatus imaginem, ſecretò reſpondet.
(rem attigi. Memini lacus;
Memini rotati verberis tergum ſuper
Inſanientis fœminæ: nunc quæ gelu,
Hyememq; modicam,& verberũ plagas leves,
Pęnas ſceleribus impares, ſtolidè tulit,
Quaſi cruentam Martyrem Auſonii colunt.
Sic eſt.) Cito Recarede flammarum rogo
Abſume faciem, deſtrue ardenti face
Vultus Megæræ, ſæva ne rurſus domum,
Meumque regnum miſceat. Vultum trucis
Mulieris, Hermenegilde, vel pictum fuge.
Abominare Nate, fatalem tuæ
Cauſam ruinæ. Fœda ſub pulchro latet
Erinnys orę, ventilans odii faces.

SCENA ULTIMA.

Hermenegildus incendium imaginis deprecatur: ſed deprecatorem non audit Recaredus...

Herm. Recar.

H. Recarede, munus ergo pretioſum magis
Delebit ignis? *R.* Juſſa ſic urgent Patris.
H. Oſtende munus. Hic nec eſt Proſerpinæ,
Nec eſt Megæræ vultus: Eumenidum nihil
In ore cerno. Frontis areola brevi
Ridet modeſtè flos venuſtatis recens.
R. Nil profuturas nectimus, frater, moras:
Furens Megæra, ſive pingatur Venus,
De-

Delenda flammis *H.* Ardeat.Sed adhuc ſemel
Germane,vultu liceat auguſto frui . . .
Sic Uxor oculos & genas, talem tulit
Frontem, comamque, talis aſpectus fuit
Meæ Indegundis . . . . Subtrahas facibus,rogo,
Charos colores; ſive, ſi tandem foco
Tradenda Imago eſt; oro, fraterno in ſinu
Illam relinque,& hic habet flammas ſinus.
R. Referunt colores conjugē? expungant ſtatim
Flammæ colores, nullaque uxoris tuæ
Superſit umbra. *H* Tanta cur immanitas
In Innocentes? *R.* Ipſa me, Frater, jubet
Sævire pietas: ne noceat uxor tibi,
Uxor cremanda eſt. Suſpicax etenim Pater
Hanc ſuſcitaſſe cenſet armorum faces,
Hanc in Gothorum regna fęmineo dolo
Armaſſe Reges Galliæ, & Latii Duces.
Me, Frater, audi, Patris occultos metus
Aptamque fraudi flamma materiam auferat:
Imago pereat. *H.* Pereat . . . at faciem ſine
Semel intueri. . Res ſacra eſt . . Frater,nequit
Flammis aduri. *R.* Victima eſt etiam ſacra
Sæpe tamen Aræ fumat accenſæ foco.
Hanc Hanc saluti victimam cædam tuæ.
Eripit Imaginem, & diſcedit, illum ſequitur Her.

CHORUS

Dictus ab Aula Traſe:

Oſtenduntur preces ipſis viribus validiores.

QUod volunt, rarò potuere vires,
Et preces quidquid voluere poſſunt.
Dira Telluris Soboles, Gigantes,

Vi-

Viribus ſiſi, ſuper aſtra cęli
Ire tentarunt, nitidoque Divos
Pellere regno.
In coruſcantes Jovis alter arces
Sævus umbroſam jaculatur Oetam,
Teſſalæ rupes rotat alter Oſſæ,
Atque Pangæi juga celſa montis.
Ille fert dorſo Rhodopen revulſam,
Et Giganteos ſociatus Hebrus,
Amne truncato madefecit artus.
Hic Athum dextrâ, atque Erycen ſiniſtrâ
Eruit, motis fugiunt latebris
Territæ Cervæ, pavidæque Damæ
Sub lacertorum latuere ſetis.
Sed labor vanus; Superi negarunt
Viribus Cœlum: precibus Gigantum
Fortè dediſſent.
Hercules Orpheo fueritne major,
Litigant Vates. Domitrice dextrâ
Fregit Alcides Nemees Leonem:
Illius clavæ pecus omne ceſſit,
Męnali pernix fera, Taurus, Hydra,
Arcadum ſylvis Aper inquietus
Aurei cuſtos vigil Anguis horti.
Ceſſit Orpheo pecus omne plectro:
Venit ad carmen vaga turba ſylvæ,
Venit oblitus rabidi furoris
Urſus, & vocis modulamen audit
Ore Jejuno Lupus innocenti
Proximus agno.
Hercules cęlum tulit, & prementes
Deſuper Divos, Capitiſque circum
Verticem ſenſit, ſolito rotari
Ocyus mundi radiantis orbes:
Sed novercalis grave pondus iræ

Pon-

Pondus aſtrorum bene collocatum
Colla non flexit, vaga Luna, Titan,
Et ſuos curſus iniere ſtellæ
Hercule recto.
Vidit & Vates properare montes,
Mobiles rivos cohibere curſum,
Vidit annoſum nemus ambulare,
Et graves auras, agileſque rupes
Ad ſonum notæ chelys, & canoræ
Murmura vocis.
Auſus eſt cæcos reſerare poſtes
Ditis Alcides, Canis & triformis
Colla latratu metuenda diro,
Angue villoſum colubroque tergus,
Intulit mundo, paviduſque Phæbus,
Cerbero viſo, properavit undâ
Mergere vultus.
Auſus eſt Orpheus inamena regna
Non inaudito penetrare cantu,
Et datum nulli, revocare manes.
Tunc Meduſæi tria colla monſtri
Rite pulſatis ſiluere chordis,
Tunc ad Orpheum melos advolarunt
Cum Reis Pœnæ Rota, Flumen, Urna,
Siſyphi ſaxum, Tityique Vultur.
Hàc Viri virtus tenùs utriuſque
Non inæqualis potuit videri.
Inter Heroas modò pugna ſurgat,
Tentet Alchmenæ ſoboles canora
Aggredi Vatem citharâ potentem,
Et ſuo tectus veniat Leone,
Monſtra, pro telis, ſuperata geſtet,
Seque, quam quondam timuit, feroci
Protegat Hydra.
Hoſte quis victo meritam triumphi
Colli-

Colliget palmam? niſi fallor, Orpheus.
Ille nam clavam traheret trinodem,
Flecteret cantu colubros, & hydram,
Herculis vaſtas cohiberet iras,
Et triumphantem ſequerentur Orpheum
Hoſtis, & arma.
Herculem Fortes immitantur, Orpheum
Supplices, clavæ ſimileſque vires,
Et preces plectro. Superatur omnis
Dura vis molli prece ſuplicantis.
Sic laceſſitas Genitoris iras
Vi, ſuâ tandem prece mitigavit
Hermenegildus.

Poſt actum primum, & muſicos multiplicis ſoni concentus Hermenegildus cum quatuor Principibus ad augendam initi cum Patre fœderis hilaritatem, diſtribuit præmia bonarum artium Cultoribus, & primò Victoribus in ſoluta numeris Oratione.

FINIS ACTUS PRIMI.

ACTUS SECUNDUS

SCENA PRIMA.

Levigildus, viſâ Indegundis imagine, vehementi in filium ſuſpicione commovetur.

Levig.

IMago grata filio terret Patrem,
Et altè inhærens mente deleri nequit.
Vellet animus gaudere: lætitiæ locum
Timor occupavit. Picta cur mulier redit,
Redeunte nato? torva quò ſpectat feri
Vultus figura? Heù, vel Deum Chriſtum colit
Natus, vel ore proditor pacem gerit,
Et corde bellum: (Numen hunc fallat metum)
Fortaſſe utrumque.. ¿ Suſpicax pluſquã decet,
Quo raperis anime? & pronus in pejus ruis?
Agnoſco Filii indolem: non eſt capax
Juvenile pectus fraudis inſolitæ, horridæ,
Et quam parare dextra non poſſit rudis
Ad grande facinus... Omnis at fraudis capax
Pectus doloſum fœminæ ſpretæ, exulis,
Lęſæ, potentis, (quodque ad audendum omnia
Reor eſſe ſtimulum, quodque ſollicitat magis
Me) Chriſtianæ. Rurſus in vanos metus
Senex revolvor; & quaſi ponto ratis
Venioque parens, dubius huc illuc feror...
Simulator Hermenegildus? Ah demens timor,
Quæ fingis animo monſtra, ne nato fruar,
Quem nunc recepi? Juvenis ad patrios ſinus
Remeans, reliquit Numen affixum cruci,
Hoſtes Gothorum milites, bellum, minas,

Et

Et odia... Sed nō Indegundē... Iterum quatit
Formido pectus. Cur in aulam intruditur
Fœminea Imago? Heù quamdiu noſtram ferox
Mentem mulier oberrat; inſidias, dolos,
Totámque video regiam everti domum...
Fallor. Reliquit natus uxorem quoque;
Uxore teſte. Nupta cur ſequitur ſuâ
Imagine virum? deſeri diſtans timet:
Etſi memoriam conjugi donis movet,
Obliteratam ſenſit. Ex animo timor
Eraſus abeat: nebula mœroris procul,
Curæ procul. Natoque reddatur pater,
Reducique feſtis laribus operetur domus.

SCENA II.

Aperiunt Calumniatores Levigildo, Hermenegildum, Chriſtum Dei Filium colere, & ſuſpicioſo Seni criminantur quaſi Proditorem Filium: Indegundem Hoſtium ducem aſſerunt, & Imaginem Indegundis quaſi ſtimulum, & incitamentum ad parricidium.

Lev. Alar. Drui. Chri.

D. O' Rex Gothorum, lęta dum plauſu fremit
Et fervet Aula, noſtra torpeſcunt gelu,
Conſtricta pigro corda: Si clarum diem
Fędamus imbre, parce: qui cupiunt tuum
Levigilde funus, gaudeant; atrocitas
Nos imminentis ſceleris ad luctus vocat.
L. Bona verba, quæſo; fata quæ mœſti canunt?
Quid augurantur triſte Bubones mihi?
Quo ſpectat horrens hic querelarum ſonus?
Ch. Tuam ſalutem; ſi ominis non fauſti aves
Audi-

Audire mavis. *L.* Quomodo? *D.* Indignâ nece
Te rapiet hodie rebus humanis chalybs:
Ad noſtra ſurdæ verba, ſi ſolum dolis
Aures pateſcant. *L.* Irritos canitis metus,
Vates malorum. Redditus natus Patri,
Paterque nato: verſus in pacem furor
Redivit Hermenegildus, & regni quies.
Ch. Utinam rebelli ſpargeret mortes manu,
Patriumque aperto marte vaſtaret ſolum.
Me gladius hoſtis publici, & bellum patens
Quàm proditoris ſica, perterret minus.
L. Hæc dicta quorſum? Filii agnovi fidem.
D. Ea quanta ſit, Rex aure patienti excipe,
Romanus eſt: adorat æterno parem
Chriſtum Parenti: Didicit à Divis ſuis,
Te non timere: ceu parem ſobolem Patri
Et terra pariat, auſus eſt bello quoque
Certare tecũ: nunc... Quid ego plura? Hoſtium,
Tuique nati, ò Genitor, eſt eadem fides.
L. Romanus Hermenegildus? *Ch.* affectũ, modũ,
Animumque, totum filium Auſonium púta.
L. Fallax latini dogmatis virus bibit?
D. Eſt ebrius: Nec addo quæ ſecum trahit
Hauſtum venenũ damna: ſint Patri hæc ſatis.
L. Quæ, fare, quæ? *D.* Proh barbaræ ſectæ rigor!
Quod horret animus, lingua quod metuit lo-
Hortatur. *L.* omnes tolle ſermonis moras, (qui
Quid illa ſuadet filio? *D.* Non te latet
Donata Imago. *L.* Vidimus, mens & mali
Præſaga tremuit intus: enarra omnia;
Etiã quod horres, pande quodcumq; eſt ſcelus.
D. Ut ſe protervâ ſenſit in patrem manu
Acuiſſe fruſtra Filius ferrum; tui
Circumtonantis militis fulmen pavens,
Ab hoſte doctus, bella meditatus nova,
Pu-

Pugnare cœpit fraude: deponit truces
Vultus, & arma; talis inceſſu redit
Non qualis animo eſt, Filium vultu pio
Mentitur Hoſtis, jugulet ut ferro Patrem;
Ut fiat Indegundis ad nutum ſcelus.
Le. Cur Indegundis? *D*. Militum ducit globos,
In bella Latii Principes ſecum trahit,
Regnoque Mulier imminet, & inhiat tuo.
Jam barbarorum ſæva colluvies ruit,
Jam Natus audet hoſtium auxiliis ferox
Immane facinus, jam Viro ſignum dedit
Furialis Uxor. *L*.Loquere,quod ſignum fuit?
C. Pictura. *L*. Sed cur illa ſe cæſam flagris,
Cur ſe rigenti pinxit immerſam lacu?
Ch. Ut ſceleris eadem ſtimulus, & ſignum foret
Imago. Pœnas Mulier oſtendit ſuas,
Ut verberatæ conjugis conjux memor,
Pietatis omnis immemor natus, Patrem
Tanquam Tyrannum vindici gladio necet.
Vindicta placuit fœminæ: ſeſe Viri
Subjecit oculis regiâ attritam manu,
Ut id Maritus audeat, Nati pavet
Quod mens, & horret: arte naturam domat;
Urgetque pavidam,& patris ad funus pigram:
Natum Marito cædere, Uxori Patrem
Jubet, ut inulta non ſit. *Al*. O' Turpes dolos!
Quis tortuoſum Juvenis ingenium poteſt,
Quis pervicacis fœminæ fraudes queat
Satis execrari? Me duplex terret malum;
Uxorius amor Juvenis, & Nuptæ furor
Adhuc inultæ: timeat hęc etiam Pater
Quamvis timendus: *L*.Sceleris indicium edite:
Quos tanta teſtes res habuit? *A*. Ipſum reum.
Quid fluctuaris? Filium reducem voca,
Quæ Sacra colat, inquire, ſi Chriſtum afferat

Hominem Deumque, & impii Ritus ſequax
Si ſe Latinis addidit, factum puta,
Armata quidquid audet impietas mali.
L. Accelat Hermenegildus. *C.* Hinc nobis procul
Abire liceat; detegentem ulcus manum
Ne videat æger, dente ne irato petat.
D. Alarice, Regi juſſus injeci metus:
Tu jam flagrãtem promove odiorum rogum.

SCENA III.

Levigildus evocatum Hermenegildum acerbè increpat, & veram Chriſti Religionem ſequi ſe profitentem, regiis inſignibus exvit, & in vincula conjicit.

Lev. Herm. Adſunt Alar. Manſ.

Le. INgrate, fallax, proditor, dire, impie,
Eloquere Parricida, quo tandem meum,
Quo nundinaris hoſtibus pretio caput?
Ergo ne caſſum Patriâ Regno, Domo,
Belli procellà naufragum fovi ſinu;
Ut hunc eumdem dente lacerares ſinum,
Et ungue corda velleres? Ergo exulem,
Ludumque Sortis, & ruinoſam pilam,
In eminentem tranſtuli Solii gradum;
Ut calcitroſus memet obtereres pede?
Quà pectus iſtud Colchide afflatum furit?
Aut quæ Megæra, Tænari erumpens lacu,
Cor viperinis facibus accendit tuum?
H. Parens quid egi? *L.* Fronte quâ vecors rogat
Id Parricida? fare, quo Conjux loco
Romana poſuit caſtra? qui dictus dies
Ad Regni, & omne juris exitium ſacri,

Pa-

Patriſque ſtragem? *H.* Quid ſibi Genitor volũt
Hæc monſtra? parricidium, bellum, dies
Locus, Indegundis, caſtra, quid voces ſonant?
Le. Audi Innocentem. Venit ad noſtras manus
Facinoris index impii, & facinus negat.
Pictura loquitur muta, quod tacuit Reus.
(Sed taceat, alio cordis occultum nefas
Piſcabor hamo.) Nate, pendentem trabe
Chriſtum cruentâ, Numini æterno parem,
Hominemque verum mente deceptâ colis?
H. (Terræ atque Olimpi Rector, ò vitæ parens
Et mortis ultor, Chriſte, nunc linguam rege
Te profitentis). Noſſe ſi tandem placet
Arcana cordis; rumpe libertas fores
Quas obſeravit hactenus prudens metus....
Sequor Latinum Dogma, & affixum cruci
Adoro Chriſti Numen.... Hoc verum decus:
Hæc gloria, unde noſtra mens ſanctè tumet,
Quâ roboratum pectus inſultat neci,
Et impotentes ridet Eumenidum minas.
L. Furioſe, nequam, mentis appellas decus
Maculã pudẽdam? *H.* Genitor, ut flores humũ,
Ut aſtra cælum, ut fulgidæ maculant tuum
Diadema gemmæ; crede, ſic Natum inficit
Illuſtre nomen. Lucidis utinam Pater
Contaminari ſordibus tandem velis.
Le. Proterve, demens, pervicax, in me mali
Quid imprecaris? abſit hoc à me probrum,
Et execrandæ peſtilens Sectæ lues.
Tu Nate, Dominus, & Pater jubeo, Sacra
Latina deteſtare, Romanam Fidem,
Et Nomen abole, virus exhauſtum evome.
Her. Ego, fidem deteſter, & vitam, & Deum?
L. Audiſtis? Hæc eſt illa libertas decens,
Hic faſtus ille ſanctus, & ſanctus tumor.

Sed detumeſcet turgidum pectus brevi.
Famuli, irrogate debitas pœnas Reo.
Prodeunt Regis miniſtri.
Monile collo rapite, ferratæ manus
Stringant catenæ. *H.* Nunc gravē laqueū exuo.
Projicit monile.
Nunc torque cingor.
Dat manus vinculis.
L. Enſe inhumanum latus
Nudate. *H.* Me nudate, ſed liceat, rogo,
Deoſculari cuſpidem, & multum oſculis
Vulnus mereri. *L.* In frōte adhuc aurum nitet?
Auferte ſertum regium. *H.* Vanum Decus.
Projicit coronam.
L. Mandate tetro carceri durum caput.
Diſcedit Rex cum Aulicis: Her. cuneo militum clauſus, ſuis vinculis fruitur.
Her. Pectus, ſentio, gaudii
Lętis ſpargitur imbribus:
Mentem roborat impigram
Inſuetus vigor, & flagrant
Flammis corda ferocibus.
Vobis debeo ferrejò
Nexus, dulcia munera.
Dulces catenæ, quæſo, qui largè fluunt,
Moderate rivos gaudii: mallem pati.
Non me Carnificum tela minantia,
Nec quidquid pavitans terra parit mali;
Non terror Nemees fulmineus Leo,
Lernęiſque fremens Hydra paludibus
Mentis non trepidæ deicient gradu.
Lacerare membra ferrum,
Lacerum poteſt ſecuris
Jugulare corpus ictu:
Animum ferire neſcit
Violenta Regis ira.
Ea-

Eamus ergo ad carcerem, ad pœnam, ad necem,
Eamus, hæc eſt brevior ad cęlum via.
Juvat, juvat rediiſſe, ſi reducem Pater
Sic recipit; his, his cupio blanditiis frui.

SCENA IV.

Indegundis, condicto colloquendi tempore, reditura ad Hermenegildum, jubet Rodulphum inquirere, ſi quid Romana caſtra per litteras nuntient de relicto ibidem filio.

Indeg. Rodul.

R. QUâ fronte Conjux conjugem excepit ſuã?
In. Inter trucem, mitemq;, ſed propior truci.
R. Fortuna tumidum fecit, & Juvenem tumor,
Exaſperatum morſibus mentis reæ,
Fecit ferocem. Dona quo vultu capit?
In. Munera magis placuere, quàm voces viro.
Amabar Uxor picta, terrebam loquens:
Oculos imago tenuit intentos diù,
Ad verba rubuit ille: mox pulſus rubor,
Et ore pallor ſedit, incoſtans color
Satis indicavit, pectus introrſum premi
Mordente curâ. Multa picturam ſuper
Dixi, rogavit. Protrahi ſed Rex diu
Colloquia vetuit, meque ſcrutari intimi
Cordis receſſum, & excutere totum Virum.
Non omnis at ſpes arvit: nam me jubens
Redire conjux colloqui mecum cupit.
En imperatos ad lares redeo: novi
Tu noſtra ſi quid caſtra Genitrici ferunt
Inquire. Miſeram me! Meo duplex adhuc

In corde pugnat cura, & in partes duas
Diviſus animus rapitur affectu pari:
Hinc natus, illinc & mei conſors tori,
Ingens uterque Conjugi, & Matri timor.
Rodulphe Nato metuo: non vehemens febris,
Cum Caſtra, & Alpes liquimus, parvum levi
Urebat æſtu corpus; urebat tamen.
Precor expetitas litteras cures ſtatim
Deferre Matri.

SCENA V.

Recaredus, & Erneſtus ſubitâ mutatione perculſi, afflictis rebus conantur parare remedia: ſtatuunt precibus aggredi Patrem, & Indegundem, quæ Imaginem, malorum cauſam, Hermenegildo donavit, in carcerem compellere, ut ad calumniarum, ſi quæ ſunt, cubilia tandem perveniant.

Rec. Ern. Præf. Aulæ.

R. E Rneſte quid, præceps furit (faces?
Dũ turbo, agendũ eſt? *E.* Quid agitis Cæli
Cur otiatur omnis elementi furor?
Cur undæ, & ignis impetus languet piger?
Cur non tonanti nube lacerantur poli?
Nec murmurantum fulminum rupto crepat
Celer ira mundo? eheu! catenatam vident
Integritatem Juvenis, & ſtellæ tacent.
Spectant Novercæ crimen, & crimen ferunt.
Si ceſſat ira Cælitum; ſi non tonant
Superna Regna, juro per genium meum,
Ego fulminantem dexterâ gladium rotans
Tonabo ſævus: ego, ego Regalem Feram;

Anile monſtrum,tartareæ Erinnyn Stygis,
Redire cogam Tænari ad patrios ſpecus.
Perimam,aut peribo. *R.* Siſte nequidquã furis.
Per templa Cæli, perque templorum Deum,
Syderea turba quem vagâ cingit face,
Meliora cape conſilia: tentemus, precor,
Prodeſſe Fratri: lacera jactatur freto,
Non merſa pinus eſt: procellarum poteſt
Turbo refringi. *E.* Pacis en fructus tuæ
Recarede: Fratri bella nocuiſſent minus.
Hoc foedus? hæc eſt venia? promiſſa hæc fides?
Sic odia ponit Genitor, & talis venis
In caſtra fratris nuntius? Cæli potens
O' Numen! Exarmatur inſontis manus,
Ne ſe tueri poſſit: ad Patrem redit
Inermis agnus, & revertenti minax,
Præceps, cruoris avidus occurrit Lupus.
R. Vulnus medelam,Erneſte,non queſtus petit.
E' belluinis faucibus fratrem citi
Ut eruamus, tu quid expediat, doce.
E. Hoſpes, nocentis prodigus doni dator,
Tenendus; omne, quod tuo fratri nocet,
Diſces ab illo, plura que Fratrem juvant
Docebit ille: fervidam interea Senis
Opportet iram frangere, aut longâ prece
Saltem morari. *R.* Regis amplectar pedes,
Et effereatos molliam fletu ſinus.
Tu turbulentum nocte tenebroſi ſpecus,
Saxoque turris Hoſpitem claudi jube.
Ubi paterno precibus intulerim moram
Supplex furori; carceris clauſtrum petam.
Pandet coactus Hoſpes occultos dolos,
Sepulta & imo pectore arcana expuet.
Si jacta ſortis alea adverſæ cadat,
Gravibuſque nullus detur ærumnis modus,

Largitor ipſe muneris pœnas luet.
Hac expiabo victimâ patrium ſcelus.
Diſcedit Recaredus.

P. A. Iter relegit regiæ juſſus domus,
Et reducis ora Regis, atque aures petit,
Ignotus Hoſpes; Verba quæ reddam viro?
E. (Tenetur, ultro venit ad caſſes fera.)
Mecum loquatur: ſed laris cuſtos phalanx
Ad imperantis excubet nutum Ducis.

SCENA VI.

Indegundis, juſſu Erneſti, vincta in cuſtodiam traditur, & carceri turris addicitur, atque captivitatem ſuam Hermenegildo imputans, ex hoc colligit illum ab Orthodoxis ad Hæreticos abiiſſe.

Ern. Inde.

E. HÆc unde nubes lucidum involuens diem?
Hic unde ventus cômovens pacẽ maris?
Odiique flammam jam reſidentem excitans?
Sic tu quietos Principum turbas lares?
Sic machinaris impiam in Reges luem?
I. Obſcura ſenſus verba perplexos tegunt:
Quid loqueris? Hermenegildus ad ſedes ſuas
Redire juſſit: parvi imperio. *E.* Bene eſt:
Deſiderati Principis ſedes petes.
Miles virum feſtinus ad turrim rape:
Et inquietum ſaxeus carcer domet.
Te tuus eo Hermenegildus expectat loco.
Diſcedit Erneſtus, & milites coronant Indegundem.
I. Agnoſco, cujus fulmen eſt miſſum manu:
Agno-

Agnoſco, cujus enſis hoc ictu ferit.
O' Dure conjux! Peſtilens ergo latet
Viſceribus ulcus, ſi ſalutarem manum
Medentis horres: ergo mens rurſum bibit,
Quod vomuit olim dogma; ſi durum, impium,
In me, meamque Imaginem, in Chriſti fidem,
Agis Tyrannum. Sed age: terribiles rogos,
Ahena aquarum undoſa flammatis globis,
Cruces, ſecures, culeos, gladios para.
Ibo, ibo, non me monſtra pœnarum nova,
Non verberantis ora Carnificis movent:
Eſt intus, eſt hìc anima contemptrix necis,
Et te, tuiſque fortior telis. Tibi
Si vellicantis ſcelera vox linguæ eſt gravis;
Clamabit in te validiùs ſanguis meus.

SCENA VII.

Hermenegildus cauſam dicit apud Patrem, & regii conſilii conſeſſum in cilicio, & catenis.

Le. Her. Al. Man. & Principes adſunt.

L. JUdex ſeverus, (hoc enim ſolum mihi
Nomen relictum, Filius poſtquam meus
Sibi Parricidæ nomen impoſuit) Reum
Audire volui: dicito cauſam: ſcelus
Dilue, refuta, ſi potes. *H.* Genitor ſcelus
Diluere poſſum commodè, ſed deeſt meæ
Cauſæ patronus: inter invidiæ faces,
Aulæ tumultus inter, & ſortis vices,
Una miſero ſupererat ad Patrem fuga:
Nunc eſt & Accuſator, & Judex Pater:
Pater, (liceat, in rebus extremis, mihi
Tam dulce nomen, lingua quod didicit diù,

Seròque quod dediſcet, hoc ſæpe eloqui)
Pater coronâ nudat auguſtâ caput,
Et torque collum regiâ, & gladio latus.
Pater catenis onerat inviſas manus,
Et me repulſum carceris claudit ſpecu.
Si quis mihi, tot inter inimicos foret
Amicus, hoſtis fieret, irato Patre.
Ipſe tuus Hermenegildus inimicus ſibi,
Sibi repugnat. Filium vitæ integrum
Facilè probaret, ſed videretur Pater
Judex iniquus: poſceret veniam reus,
Sed fraude nullâ tangitur: ſupplex prece
Molliret iram, precibus at ſolùm Patri,
Non ſupplicamus Judici: tutum magis
Quod eſt, tacerem, ſed loqui me Rex jubes.
L. Verſute vocum melleo rurſus ſono,
Iram paternam poſſe mulceri putas?
Voces inanes amputa: in cauſam unicè
Incumbe totus. *H.* Filii linguâ loquor,
Audis ſed aure Judicis: pergam tamen.
Olim voluptas, atque deliciæ Patris
Unus erat Hermenegildus: ego regni tui
Fræna moderabar: geſta per me prælia,
Sancita per me fœdera, & Patrii Imperii
Et jura, & arma, cuncta parebant mihi.
Uxor mihi quæſita, cui clarum genus,
Animique virtus clarior, neptis, ſoror,
Regiſque proles Indegundis. Cum Puer
Moriente flebam Matre; quæ vultum rigant
Abſterge Fili lacrymas: in me Patrem,
Matremque habes, utrumque, dicebas, dabo;
Neuter futurus: tu duos promiſeras;
Unum requiro: Ubi Pater nunc eſt? ubi?
O vana ſpes! mors abſtulit Matrem mihi,
Patrem Noverca. Ut regios ſubjit lares

Goi-

Goiſuintha, jacuit & Patris toro,
Subjere fraudes Regiam: pietas, amor
Diſceſſit omnis. Fœminæ cuncti ſciunt
Odia, & furores: Aula ſpectavit pavens
Quas Indegundi, quaſque Privigno intul:
Injurias Regina: non potui malum
Virtute majus ferre, ne rurſus lacu
Mergi viderem conjugem, triſti gelu
Auguſta tremere membra, calcari pede,
Cædi flagellis, & cruentari ſolum;
Ceſſi paternis laribus, exivi domo:
Urbemque, Patris munus, extorris peto:
Sed, heù! Noverca exagitat abſentes quoque,
Et quod vibravit eminùs, telum fuit
Majus timore: vertit in crimen fugam,
Apellor hoſtis Patriæ, Regni lues,
Oſor meorum, perfidus belli faber,
Dum ſtudeo paci. Credulus Regis timor
Totum Gothorum robur in pugnam rapit,
Unumque totus in caput, terrâ, & mari
Armatur orbis. *L.* Opprimi meruit ſcelus
Mundi ruinâ: parricidæ audax caput,
Et proditoris debuit tellus, mare,
Et ira Cæli frangere.
H. Hoc Rex, hoc Pater,
Fateor, coactus arma ſumpſi, ſed quibus
Memet tuerer, & meæ ſociam fugæ,
Thalamique, non ut ſcinderem Patrios ſinus.
Delubra teſtor Cælitum, teſtor Deum,
Ipſumque mentis conſcium Fratrem meæ.
Ut ſe tueri noſtra non potuit manus,
Niſi vulneraret Patris armatos globos,
Statui, relicto marte, Genitoris pedes
Adire ſupplex, pectus & nudum tuis
Objicere telis. *L.* O' Virûm nequiſſime!

Quid fingis? Arma victa projecit manus,
Non animus:ad me dum redis, quònam fugit
Quò properat Uxor? Cur Latinorum petit
Inimica caſtra? *H.* Rex video, video tuus
Quò ſermo vergat: teneo Reginæ dolos.
Non Indegundis Alpium tranſit nives,
Ut bellicoſos armet in Regem Duces;
Sed ingraveſcens prole maturâ fugit
Martis tumultum: armata cum cœpit cohors
Bellum minari, jam laborabat tumens
Uxoris uterus: quid parens agerem novus,
Exul maritus? nil quidem pro me mali
Timui, ſed uxor fecit, & natus mihi
Martem timendum. Jubeo prægnantem lares
Redire patrios, ſed ubi conſcendit jugum,
Alpemque; clauſtro ventris erupit Puer,
Interque caſtra ferreum aſpexit diem.
Calumniam perpende nunc, fraudem vide.
Non cogit Uxor milites, Infantulo
Dat mater uber: non tubæ ad pugnam ſono
Gothos laceſſit, miſera vagitus pavet
Pueri timentis arma. Non hoſtes necat,
Nutrit Marito filium, Regem Gothis,
Tibi nepotem. Mulierem belli ducem
Noverca fingit: illa, luminibus truci
Furore læſis, arma & inſidias videt,
Ut Innocentis opprimat tandem caput.
L. Regina fingit, certa dum produnt tuum
Indicia crimen? unde feralis tibi
Imago venit? *H.* Hoſpitis venit manu.
L. Ab Indegunde miſſa. *H.* Non iſtud ſcio.
L. Etiamne pictæ fœminæ nomen latet?
H. Hoc docuit Hoſpes. *L.* Fare, cur ergo datur
Depicta facies Conjugis? *H.* Mirum nihil:
Donat Marito Conjugem: gratum magis
Quid

Quid gratioſus Hoſpes ad Regem ferat?
L. Eludis ictus callidè: quare flagris
Cæſam cruentis, atque torpentem gelu
Depinxit ille? Gratiam nunquid tuam
Sic aucupari voluit, an potius tuas
Iras movere vindices? *H.* Tandem Pater
Cubile fraudis detegis: fraus hìc latet:
Non conjugalem ſtimulat ultoris manum,
Sed æmulas amoris accendit faces
Sic læſa conjux: ſpreta, miſeranda, horrida,
Cruciata pœnis Indegundis, ſic meis
Occurrit oculis pulchrior. *L.* Stultè ſapis:
Cui pœna placuit? *H.* Pœna non placuit mihi;
Sed illa virtus grata, quâ pœnam tulit.
L. Nolente Rege, dogma Romanum ſequi,
Virtus vocatur? Sceleris hoc, hoc eſt caput,
Et cardo cauſæ. Perdite etiamnunc colis
Sectæ latinæ fabulas, Hominem Deum,
Numenque morti obnoxium? *H.* Genitor, colo.
Non hoc Noverca fingit: at ſi hoc eſt ſcelus
Me glorior peccaſſe. Felix ò ſcelus,
Quod me beatis inferit ſuperum choris:
Quod ſulphuratos non timet Ditis rogos:
Quo taminari non potuit unquam reus.
Occide Genitor, membra per partes ſeca:
Fodito latebras viſcerum, puni ſcelus:
Pro ſcelere, quotquot exigis pœnas, dabo.
Nec timeo mortẽ, hoc pro ſcelere votũ eſt mori.
L. Furioſe, vitam nemo contemnit ſuam:
Sunt vota deſperantis occidi, & mori.
H. Sperantis etiam; negligit vitam brevem
Æternitatis lucidum ſperans diem.
L. Natum rebellem noctis æternæ manent
Stygiæ tenebræ. *H.* Victimam Chriſto ſacram
Cæleſte radiis redimet Aſtrorum jubar.

L. Cæ-

L. Cælum mereri contumax animus nequit.
H. Conſtans poteſt. *L.* Imperia ſpernentē Patris
Deus odit. *H.* Odit ſi nihil jubeat Pater,
Deus quod odit. *L.* Quod ſcelus Genitor jubet.
H. Præcipis Arii dogma ſacrilegum ſequi.
L. Et niſi ſequaris, hoc metam ferro caput.
H. En nudo collum Genitor.
In genua procumbit ad excipiendum ictum.
L. Inſipiens, Iners.
Nudo gladio in Filium fertur.

SCENA VIII.

Recaredus pro Fratre deprecatur. Levigildus utrumque filium à ſe procul expellit: audit Conſiliarios, & Principes, & ſententiis in varia diſtractis, ſtatuit Hermenegildum, niſi Religioni, nuncium remittat, de medio tollere.

Recar. Levig. Herm. &c.

Rex medius inter Filios paternis pedibus advolutos.

R. IN me arma, et iras Genitor, in me quod vibrat
Tua dextra fulmen verte: èt ego ferri ictibus
Aperio collum: Sum nocens, mereor mori,
Eſt culpa ſimilis: prodidit Natus Patrem,
Fraterque Fratrem. *L.* Armata lãgueſcit manus,
Dum cerno geminos hinc, & hinc natos caput
Obicere gladio. Nate quid demens rogas?
R. Quos proditori deſtinas ictus, rogo.
Ego pacis internuntius, Fratris latus
Militibus, armiſque exui: veniam, fidem,
Opes, amorem, Patris amplexus, ego
Profugo ſpopondi Filio: hoc pacto exulem,
Hac

 103

Hac ſpe reduxi. Sed ubi nunc pietas, amor,
Venia, fides promiſſa? non amplectitur
Natus Parentem, Judicis pallet minis:
Non nexu amoris ſtringitur, duris gemit
Vinctus catenis. Ergo vel nullum feri
Rex proditorem, vel meum primùm caput
Tua tela feriant. Quid moraris? Patrem agis?
Ignoſce & illi. Judicem? in me etiam tona.
L. Recarede trepidam quis tenet mentem furor?
Quid ſtultus optas? *R.* Reddidi natum tibi,
Mihi redde Fratrem: *L.* Nempe qui regnũ tibi,
Patremque ſævus auferat. *L.* Fratri dedit
Meritumque, & ætas ſceptra capiat: ſunt ſua.
L. Diadema Parricida promeruit? Gravis
Adeone regnum eſt pœna, quâ plecti queat,
Et Parricida? *L.* Præmium ſed nec reor
Tam grãde Regnum, cæde quod Fratris petã.
L. Non tu, ſed idem cædis eſt Author Pater.
R. Nec cædis eſſet impiæ Genitor reus,
Niſi reddidiſſem proditor Natum Patri.
L. Quid eſt? Leonis vellicant mures jubam?
Sic ergo temnunt Regis, & dona, & minas?
Sic nõ timemur? offero huic ſceptrũ, & manus
Ingrata Sceptrum refugit: huic regnum aufero,
Et regno adempto gaudet, in merita & ſua
Mea vertit odia. Filii ſunt hi mei?
Genuiſſe prolem barbaram memet pudet.
H. Non Sperno Patrem, nec minis lætor tuis,
Animus fluentis cælitum irriguus fluit,
Mea quòd ſecundos vota ſuceſſus habent,
Et expetitas jam diù in pœnas agor.
R. Non fugio dona, nec bonis patriis ſinum
Subduco: cædem fratris injuſtam horreo.
L. Audi Parentem Nate, teque ipſum juva.
Paterna metue ſceptra. *H.* Quod ſalvâ licet
Pieta-

Pietate metuo. *L.* Sequere præceptum Patris.
H. Quod eſt honeſtũ proſequor. *L.* Rex ad preces
Deſcendo: Fili mi precor, precibus Patris
Nihil eſt negãdum. *H.* Põdus immẽſum preces
Habent paternæ, ſi quod eſt æquum petant.
L. Romana profuge ſacra, & imperium cape,
Patriumq;regnum: *H.* Flãma cum fluctu prius,
Cum nivibus æſtas, hyemę çum canâ ſeges,
Cum nocte Titan fœderis junget fidem;
Quam ſacra. *L.* Dure, ſuplici & Regi, & Patri
Adhuc reſiſtis? Abripite famuli, & procul
Avehite monſtrum, procul ab oculis, à ſinu,
A mente noſtra: illum abdico, ejuro, abnuo.

Diſcedit Hermincgildus.

Tu vocibus Recarede meliorem meis
Adverte mentem. Nate quò vultus refers?
Cur ſequeris oculis Fratris expulſi fugam?
Inſanientem patere præcipitem rapi,
Et parricidæ debitas pœnas dare:
Ommitte queſtus: aufero Fratrem tibi,
Sed reddo regnum: Fratre ſi Fili cares,
Domino cares. *R.* Sed ſceleris inficior lue.
L. Obtundis Aures: quem mihi ferro licet
Perimere, prodidiſſe Germano licet.
R. Rex non licet. *L.* Paterna regalis ſenis
Conſilia Jûvenes reprobant? hunc, hunc quoq;
Arcere natum. *R.* Genibus advolvor tuis:
Has cerne Genitor lacrymas, gemitus cape
Teſtes doloris, ſi negas veniam, moram
Concede parvam nulla de nati nece
Judicia longa. *L.* Tædium pariunt preces:
Removete famuli pedibus hunc obicem meis.

Pellitur Recaredus.

Ejecto utroque filio, Patris nihil
In corde ſupereſt: totus exceſſit ſimul

Cum

Cum prole genitor: gaudeo, affectu carens
Bene nunc ſeveri Judicis partes agam.
Deliberate. *M.* In Principem jactum duplex
Scelus eſt: inanis ritus Auſonii Soli,
Et perduellis facinus. Hoc non dum liquet.
Calumniæ, Rex abſit, ut Coujux mihi
Suſpecta tua ſit: noſco Matronæ fidem,
Et mentis arcem regiæ, quam non doli,
Fraudeſq; ſubeant, nec odia, aut præceps furor,
Privata vitia: digna regali eſt toro;
Sed eſt Noverca. Neminem prorſus latet,
Fuiſſe ſemper tragicum, & in ſcenis frequens
Nomen Novercæ: ne feri turpem Patris,
Et negligentis Judicis ducas notam,
Teſtem novercam criminis cautus time.
Qui læſus eſt ſi judicat, teſtis reus
Cur eſſe nequeat? Filius crimen negat,
Quod Aulicorum turba venalis probat.
Levigilde nimium ſubita properantur rei
Judicia magnæ: dum malum nullum imminet,
Cur in necem, pœnamque præcipites ſumus?
De capite Nati Rex agitur, & idem ſubit
Tribunal ipſum Conjugis nomen tuæ,
Et fama Patris; innocens hæc non erit
Si puniatnr Natus, & culpâ vacet?
Aliud ſacrorum filio objectum ſcelus,
Rex, docta ſolum lingua ſapientum ferit,
Non enſis, aut armata Carnificum manus.
Sacros quis unquam Numinû prudens metus
Perſuaſit armis? Quis timens unquam Deos,
Humana metuit tela? Sed quos non minæ,
Aut pœna flectit, ſæpe blanditiæ movent.
His nunc, relicto Judice, utatur Parens.
Ferrum reſiſtens malleo, flammis domâ,
Prædamque telis territam illecebris cape.

L. Alarice quid ais? *A.* Liquida ſi non dum forēt
Objecta ſcelera, poſcerem primus moram;
Sed jam diurnâ luce clareſcunt magis,
Bellum ſuperbus in patrem movit, gradu
Ad turpe parricidium extremo ſtetit.
Animum ferocem nullus infregit metus,
Amorque nullus, terruit nullus pudor,
Non flexit illum feſſa canities Senis,
Non ſumma Regis dignitas, blandum neque
Sanctumque Patris nomen. Ad voces ſui
Scelus exprobrantis ſanguinis ſurdus, manu
Tractavit arma, quamdiù potuit, fuit
Hoſtis Parentis, quamdiù à nato Pater
Potuit necari. Rediit ad patrios ſinus
Veniæ ne ſpe vocatus, an palmæ impiæ?
Ut prece parentem placet, an fallat dolo?
Timeo coactas pacis infidæ preces,
Moramque ſeri Reducis; æternum ferit
Si cum Parente fœdus, & bellum abſtulit,
Cur Indegundis lętus effigiem ſuæ,
Hoſtis Latini munus, hiſtoriam horridam
Injuriarum, formitem odiorum capit?
Et ſi furoris pœnitet, belli pudet,
Si ſupplicat; cur Regis imperio ſui
Audax repugnat? *M.* Religio natum jubet
Obſtare Patri: *A.* Si jubeat ergo Patris
Cædem Religio, Natus occidet Patrem.
M. Religio nati fortiter ſuadet pati,
Non impiè agere: *A.* Suaſit hæc bellum tamen
Et in parentem: Filios eadem docet
Non eſſe Patribus impares. *M.* Solam Dei
Sobolem Religio docuit æqualem Patri.
A. Sed nemo dubitat Numen imitari ſuum.
Rex, Filium natura largita eſt tibi,
Religio fecit æmulum, atque hoſtis dedit

Tibi parricidam : conſulere ſi nunc velis
Patriæ ſaluti, ſique pietati ſimul,
Ignoſce nato, ſi hoſtium Sacra abneget :
Occide natum, ad patria ni redeat Sacra.
M. Nati Paternas imbuet ſanguis manus?
A. Impunè, perduellis officiet Patri?
M. Clementiæ meminiſſe Genitorem decet.
A. Meminiſſe Natum pariter obſequii, expedit·
M. Quem perdet ira? *A.* Fata meditantem Patris.
M. Natum petentem Patris amplexus ſui?
A. Hoſtē. *M.* Subactū? *A* Proditorē. *M.* Supplicē?
A. Inobſequentem Principi. *M.* Veritum Deos?
P. 1. Fixum cruentâ in arbore abjuret Deum,
Et æqua Natus tela vitabit Patris.
Pr. 2. Si ſtatuat iſtud Genitor, eſt clemens ſatis.
P. 3. Si refugit illud Natus, eſt nimium Reus.
P. 4. Regi obtēperandū eſt: imputet dānum ſibi
Si Regis enſe pertinax proles cadit.
L. Per ſacra juro ſceptra, per Summum Deum,
Hac nocte Chriſti vel Religionem evomet
Natus, vel animā: huc advolet Dinoſthenes...
Fateor: cor horror pepulit, ut primùm fera
Decreta Judex protuli,... Fateor, parum
Subſedit ira. In pectore affectus novus,
Et neſcio quis ſerpit in venis tepor:
Pietas videtur, viſcera invadens Patris...;
Excede pietas... Quidquid appellas ferum,
Agique credis impiè, prius eſt mea
Conata proles agere: ubi eſt Dinoſthenes?

SCE-

SCENA ULTIMA.

Dinotheni committitur à Rege Hermenegildi ſupplicium.

Leu. Dinoſth. &c.

D. ADſum. *L.* Cruentâ morte me, Regnum lue,
Terramq; mōſtro libera . . . Nati caput . . .
(Quid anime titubas ? quid times ? . . placet hoc placet)
Abſcinde ferro. *D.* Ecquis dolor mentē coquēs
Rapuit paternum pectus in prolis Necem ?
O' Rex, ſecuri demetam auguſtum caput ?
Ego Nati, ego tremēs ſanguinē effundā tuum ?
Et impiabo ſtrage nolentes manus ?
L. Mandata perage: Filius ſubeat necem
Si non Arii veſcitur ſacrā dape.
D. O' Rex. *L.* Quid audax objicis ? macta feri:
Sic jubeo: renuis ? guttur effodiam tuum.

CHORUS.

Dictus Ab Aula Praeſ.

De Fortuna, & Lingua queritur.

SIc eſt: lentè creſcere parva,
Moderata diù durare ſolent,
Subitis pereunt magna ruinis.
Si noſtra mari ſimilis vita,
Undæ ſimilis cæca marinæ
Sors eſt. Fragilem hæc vitæ navem
Tumidis ſurgens inflata Notis,

Nunc

Nunc alta ſuper nubila tollit,
Nunc ſubſidens rapit in præceps,
Vaſtoque ſali mergit hiatu.
Cineri ſimiles fumus arenti,
Sortiſque favor ſimilis vento.
Aurę tenui flamine motus
Super aſtra cinis fertur Olympi,
Noctiſque faces minus exardent,
Soliſque minus fulgurat ignis
Cineris tectus nube ſuperbi.
Sed ſi refluens aura quieſcit,
Cinis æthereis lapſus ab oris,
Pede calcandus tellure jacet.
Quidquid ſummo culmine rerum
Hæc aura locat, quidquid in altum
Hæc unda tulit, ruitura levat.
Stetit excelſo vertice regni
Hermenegildus, modò dejectus,
Jacet anguſta carceris umbrâ,
Et mox ſævæ ferienda dabit
Colla ſecuri.
I nunc fortis confide bonis.
Tibi ſors tantum dura minatur,
Quantum ridens tibi promiſit.
A Sorte parùm diſtat lingua.
Hæc perpetuo rore madeſcit,
Orbemque ſuper ſtat illa rotæ,
Et ſæpe ſolet lubrica labi.
Utraque variis motibus errant.
Felix aliis, aliiſque nocens
Fortuna fuit, ſed lingua quoque
His blanditur, vulnerat illos,
Deprimit alios adverſa loquens,
Laudibus alios vehit in cælum.
Sors divitias, vitamque ferit.

Honi-

Hominum famam, decus, & nomen
Inficit atro lingua veneno.
Linguæ virus, telaque ſortis
Duplici Juvenem funere perdunt.
Falſi ſceleris vulnere læſa
Hermenegildi moritur fama,
Vitaque moritur cæſa ſecuri.

Poſt actum ſecundum, novamque ſonorum ſymphoni-
am, Levigildus detectis, ut ſibi perſuaſum habet,
inſidiis exultans, inceptam præmiorum
largitionem abſolvit, & ſimul cum
Regni Principibus præmia
diſpertitur Victoribus
in vincta numeris
Oratione.

FINIS ACTUS SECUNDI.

ACTUS TERTIUS,

SCENA PRIMA.

Hermenegildus expulſus â Patre redit ad carcerem, ubi incidit in Indegundem, quæ angoribus leſatigata ſopiri cęperat, ſed à ſomniis quoque vexata expergiſcitur, & videns Hermenegildum, quem putabat & Arianum, & Tyrannum non modò Catholicum eſſe, ſed etiam pro Chriſto vinctum; ad pedes ejus provolvitur, eique ſe manifeſtat.

Her. Ind. In angulo dormiens.

H. Patris tribunal Judicis coram ſteti,
Nunc claudor iterum turris anguſto ſinu.
Quid cerno? nocte carceris cæcâ jacet
Hoſpes ſepultus? cujus imperio, gravis
In immerentem pœna ſancitur virum?
Quâ parte cæli veniat hoc fulmen ſcio:
Sic ſuſpicacis Regis intonuit furor.
Culpam putavit Hoſpitis, munus mihi
Tuliſſe ſolùm, & criminis pœnam exigit.
Quis hoc Gelonus faceret, aut ſęvus Scytha?
I. Tyrãnus Hermenegildus... *H.* Hoſpes sõniat,
Et dormienti barbarus videor feræ
Crudelitatis Author. *I.* Olim vir meus,
Nunc, heù! *H.* Quid eſt hoc? quove turbatur
Et mens aberrans ſomnio? quare vocor (quies,
A non muliere vir ſuus.... Si quod die
Mens voluit intus, reddit infauſtus ſopor,
Cur huic maritus videor? heu! timeo, novum
Ab Hoſpite malum! frigido afflatus metu

Præ-

Præſagit animus,! neſcio quid, quod ſibi
Nollet fateri. *In.* Vulnera, ſcinde, eneca ...
H. Amore miſtus horror, ad voces, ſubit
Penetrale cordis ... Hoſpiti nequeo bono
Diu timendus eſſe ... Sopiti metum,
Somnumque pellam.
Excitat Indegundem.
Surge: generoſus pugil
Jam jamque Chriſti Martyr eſt, non eſt tibi
Tyrãnus Hermenegildus: *In.* Et nõ dum exuit,
Simulacra mens luctifica? me vigilem quoque
Inane ludit ſomnium? *H.* Vinclis manus,
Et jam catenis lividos artus vide:
Ego Chriſtiani, nominis, fidei tenax,
Juſſu Parentis, immolor Chriſti hoſtia.
In. Crudelis Umbra! vota ſic mendax mea?
Sic vana viſus decipis? fugias procul.
H. O' Hoſpes, Hermenegildus occurrit tibi
Non umbra. *In.* Nuper quem coronavit parens?
H. Is, ipſe. *In.* Nuper cui placens munus dedi?
H. Idem. *In.* Quis ejus impedit ferro manus?
H. Fides latina. *In.* Nonne Chriſtiadum ſacra
Deſervit, ut placaret iratum Patrem?
H. Nunquam. *In.* Repente verſa cur ergo omnia?
H. Semen malorum, munus; effigiem Pater
Vidit, & Ario me met averſum putans,
Suſpecta flammis dona picturæ dedit,
Et me catenis.
Aliò vertitur Indegundis, & queritur ſecum.
In. Heu! quid auſa eſt Uxor? heù!
Miſera Indegundis! ecce, quò Virum
Imago traxit: ſtulta properaſti nimis,
Non ille Ario adhibuit incoſtans fidem,
Tu credidiſti ſuſpicax famæ levi.
Non eſt Tyrannus ille: tu præceps, furens,
Tu

Tu ſpem, ſalutem Conjugis, vitam, omnia
Peſſumdediſti. Triſtis ò Conſors tori,
Ubi te video? deiiceris in turris ſpecum,
Impulſus à me: vinculis preſſus doles,
Et enecandæ victimæ vultus geris;
Taleſque feci. Video, ſed nondum ſuis
Cor credit oculis: plura ſcitari jubet.

Convertitur ad Hermenegildum.

Tu Martyr? At ſi pugnet illecebris Parens?
Mellita Patris verba diripient Noti.
Si mors paratur? *H.* Veniat: optanti datur.
Fac lenta veniat, atque pœnarum trahat
Secū catervas. *H* Nulla vis Chriſtum auferet.
Sed & feroces ſpiritus letho cadunt
Præſente, quid ages, imminens jugulo vibret
Cum Lictor enſem? *H.* Finge Carnificis vices
Pręſtare te. *In. Attollit dexterā inſtar percutiētis.*
Sum Carnifex, Princeps, tuus
(Et, quod pudēdum eſt, verus) *H.* En flexo genu
Denudo collum vulneris magni capax....
Suſpenſa cęlo lumina.... & geminas manus
Sic ego tenebo,... donec exhauſtà prece,
Et capite cęſo, truncus in pronum ruat:
Sic me Indegundis docuit.

Indegundis iterum ſe avertit ab Hermenegildo.

In. Ah! vultum obruunt,
Et ora lacrymæ. Placeo, diſpliceo mihi:
Edoctus à me didicit effuſi quòque
Conjux cruoris voce facundā magis
Chriſtum fateri; ſed ego violenta, horrida,
Ego cauſa mortis, & Viri tantam fidem,
Nullam putavi. *H.* Quis modò immitis dolor
Tuos adactis incitat ſtimulis ſinus?
Cur fletus ora proluit? *In.* Doleo vicem
Tuę Indegundis: *H.* Cur? in hoſtiles manus,

Captiva venit? *In.* Venit. *H.* O miſerum virum.
In. Onerata ferro luget. *H.* Heu! luctus, ſtatim,
Captivitatis cauſa, & inopini mali
Quę fuerit, ede. *In.* Vir ſuus. *H.* Quare? *In.* Videt.
Cauſâ perire te ſuâ: effigies ſuum
Fuit illa munus; fama nam mendax tulit,
Remeaſſe in Aulam te, repudiatâ fide;
Et Indegundis ſupplicia pinxit ſua,
Ut ſic Mariti corrigat falſum ſcelus,
Et te rebellem, perfidum, inſanum, levem,
Truncum vocavit igne torrendum ſtygis:
Te, qui beatos Martyrum aſcendens choros,
Mox, inter aſtra, lucis effundes diem.
H. Regina famæ credidit? norat tamen
Quantus Mariti pectus impleret vigor.
In. At novit etiam quantulùm humanæ queant
Vires. *H.* Quid illa, quando conſtantem Virum
Supplicia ferre dura pro Chriſto ſciat?
In. Suumque crimen novit, & laudes tuas:
Novit; treme̅ſque, attonita, pene expers ſui, . . .
Ad conjugales procidens ſupplex pedes,
Ignoſce miſeræ, dicit, Hermenegilde mi
Procumbens tenet Hermenegildi pedes.
H. Heù, quã tragica! quã miſera! quã rerum nov
Facies! *In.* Ego Indegundis imprudens, ego
Violẽta, deme̅s, noxia. . . Hermenegilde mi . . .
H. Hoc eſt, quod ille mentis horrebat metus,
Hoc dormientis ſermo fœmineus viri,
Hoc indicabat ſomnium.

SCE-

SCENA II.

Rodulphus corruptis auro Cuſtodibus ingreditur in carcerem, deferens Indegundi epiſtolã, quæ Matri nunciat mortem Filioli in caſtris relicti. Lecta epiſtola Indegundis animo linquitur: eamdem etiam legit Hermenegildus, & ex illa tandem intelligit, & quod nondum ſibi perſuadere poterat, Hoſpitem vinctum eſſe Indegundem; & quod illi novum prorſus accidit, Filium ſuum è vivis exceſſiſſe.

Her. Indeg. Rodul.

Ro. (E vici; fores
Aurum recluſit turris.... (O' fortis vices!
Uterque vinctus? errat acies luminum,
Meoſque trepidus decipit viſus timor?
An vera video? conjugum ò fatum grave.)
H. Rodulphus unde? *In.* Conjugis cuſtos tuæ
Eſt me ſequutus. *H.* In ſpecus imum latus
Hoſpes recede.

Indegundis recedit in angulum carceris, & clàm accipit à Rodulpho epiſtolam.

(Dum rei verax adeſt,
Tantæque notus teſtis, inquiram magis,
Ne falſa credàm.) Sic tuos vetitam pedes
Infers in aulam? creditam quondam tibi
Sic Indegundem deſeris? *R.* (Quid agam miſer?
Manifeſta conjux eſt, vel etiam nunc latet?
Cautus loquar) *H.* Profare, cur iſtud ſubis
Vivus ſepulcrum? *R.* Quæritas hoc, dum meus
Rex, & voluptas omnis, & ſpes, & metus
Jacent in illo? Te per horrentes vias,

Per vim ſonoram fluminum, & vaſti maris,
Te per procellas ſequerer. *H* Hoc refert nihil.
Patrem, & Maritum duplici curâ leves.
Eloquere primùm. Filius vivit meus,
Clypeoſque Martis inter exortus Puer?
R. Vivit, ſed ægras quando corripui viam,
Venas pueruli lenta pulſabat febris.
O' ſi videres regii pignus tori!
Nulla eſt roſarum pulchrior, vel cum die
Primo tepeſcens pandit halantes ſinus.
Formâque major indoles, totum puer
Parvus parentem mente non parvâ refert.
H. Reſpirat animus patrio liber metu,
Et ſola ſupereſt cura ſollicitans Virum.
Ediſſere agedum, & conjugem fallas cave.
Captivus Hoſpes, carceris noſtri comes,
Eſt ipſa thalami ſocia?
Prodit Indegundis præ manibus habens epiſtolam.
In. Violentus dolor
Jam cor parentis occupat: vincor malo:
Langueo. *H.* Quid eſt? horrore tolluntur comę,
Et ora pallent Hoſpitis: corpus labat.
Quid luctuoſi pagina hæc affert mali?
Exanimis Uxor ſedet: Hermenegildus legit epiſtolā.
Heu! heu! heu! maligna perdidit Natum febris:
Et hæc catenis obruta, exanguis, rigens,
Hæc Indegundis. Litteræ nati necem;
Sævuſque miſeram detegit matrem dolor,
Meamque Mater Conjugem.. O' Cuſtos bone
Rodulphe, ſic tu reddis uxorem mihi?
Sic æſtuantem deferis natum febri?
Sic vivit Infans? *In.* O' Amor, Fili, meus!
Nec tibi ſupremos licuit amplexus dare,
Nec oſculari labra, quæ tenero ſono
Matrem vocabant. *R.* Carceris frangi puto

Do-

Dolore lapides, quid aget in Matris ſinu
Luctus ſepultus? *H.* Summe Regnator Poli,
Qui fulgurantes ſyderum volvis globos,
Me cerne miſerum. Filio, Regno, Patre,
Uxore ſpolior: una res ſupereſt mihi
Uxore, Nato charior, Regno, & Patre:
Amor tui. Hic intrepidus haud cedit malis;
Sed amat, reſolvi hos corporis nexus; cupit
Chriſto mori, & Tonantis amplexu frui.

SCENA III.

Recaredus expulſus à Patre cum Erneſto ingreditur carcerem, & iratus armatâ manu fertur in Hoſpitem, quem ubi intelligunt eſſe Indegundem, ſpem concipiunt liberandi Hermenegildum. Decernunt itaque Indegundem catenis vinctam pertrahere ad Levigildum, qui videns captivam eam, quam metuebat armatam, & conjuratorum Ducem, deceptum ſe tandem ſentiens, revocabit ſententiam.

Rec. Ern. &c.

R. ERneſte, rabidas voce flexiſſem tigres,
Rupiſque duræ ſaxa fregiſſem prece:
Meus paterna corda non fregit dolor.
Er. En recubat Hoſpes ſævus ad Fratris latus,
R. Morietur hercle.
Ferro nudo fertur in Indegundem.
Nebulo, ſceleroſum caput,
Muneribus Hermenegildus hoc reddit tuis.
H. Germane, quò te cæca præcipitem trahit
Rabies, furorque? Fratris Uxorem feris.
Hæc Indegundis, veſtibus ſexum tegens;

Rodulphus hic eſt, conjugis cuſtos meæ;
Satiſque facie notus, ac vultu tibi.
O' ſors acerba! deerat hoc unum malis,
Ut caderet Uxor enſe fraternæ manus,
Patriæque Natus. *R*. Illa picturam tulit?
Diſperſit illa ſemen odiorum ferax?
In. Recarede ſic eſt: eripe indignæ diem,
Animamque, non me penitus occidit dolor;
Ut aliquid in me nempe ſupereſſet nocens,
Quod tu ferires: Fratris iræ vindiciſ
Reſervor orba Mater. *E*. Hæc Uxor tua?
Effare, vel tu falſa pro veris vides?
H. Utinam viderem falſa, nec mecum mea
Pateretur atram carceris conjux luem,
Odiumque Patris,&, quod eſt odio, & lue
Pejus, Novercam. Perlege has chartæ notas.
Legitur ab Erneſto epiſtola.
R. Quis te, quis error impulit munus viro
Offerre nocuum? *H*. Si qua te pietas movet,
Miſeræ Parenti, Conjugi miſeræ magis,
Germane, parce: cur laboranti novum
Addis dolorem, & penè collapſam premis?
E. Audite famulum Principes. Ergo ſi adeſt
Hic Indegundis, vicimus. Ferro, & nece
Eſt liber Hermenegildus: affulſit dies
Inter tonantes noctis horrendæ minas.
R. Quomodo? *E*. Paternus filium mactat furor,
Quòd Indegundis arma pugnantis timet.
Si videat igitur fœminam, non fomitem,
Non adminiſtram ſceleris, & belli ducem;
Sed maceratam carceris triſti ſitu,
Vinctamque ferro, ſentiet tandem Senex,
Seſe Novercæ fraude regnantis capi.
R. Bene eſt: eamus ergo. *E*. Properato eſt opus.
H. Meæ Indegundis ultimum affatum rogo:
Erne-

Erneſte,Frater, parva, quam poſco, eſt mora,
Date, ut ſupremos audiam uxoris ſonos.

E. Omnem pericli terror inſtantis moram
Fecit timendam. *H.* Pergite.

Diſcedunt.

Officio pió:
Non dabitur ultrà tempus, ad cælum vocor.
Heu! turbinibus quantis pelagus
Voluitur Aulæ? Genitor cæcis
Uritur odiis, ingemit Uxor
Innocua Viro cauſa ruinæ,
Funere rapitur Natus acerbo;
Et livor edax rabido mordet
Dente Novercam. Sed parva meæ
Vitæ navis læta propinquos,
Æſtus inter maris iratos,
Aſpicit avido lumine portus.
Ille, magis qui tumuit, fluctus.
Illa, magis quæ tollitur unda,
Cum me ſecum violenta vehet,
Me ſperatis inſeret aſtris.

SCENA IV.

Dinoſthenes Hermenegildo, quem fruſtrâ rogat, ut Arianam dapem capiat, extremam neceſſitatem denuntiat.

Her. Dinoſth.

Din. O Vis amoris! lancinat pectus dolor,
Et imperatis vocibus claudit viam.
Generoſe Princeps, te per æternum Deum,
Divoſque regum præſides, ipſum quoque
Rogo per Hominem, quem Deo æqualẽ facis,

Rogo Gothorum nomine, & Regni tui,
Hac concupiſcit quod gubernari manu;
Hac nocte ſacras ore contingas dapes,
Quas ex Arii Pontifex menſâ feret.
H. Ut ego nefandis ora conſcelerem ſacris?
Ut impiem me dapibus? ut prodam Deum?
Abſcede ſuaſor impudens: nunquid cor hoc,
Mens hæc videri potuit ad tantum nefas
Materia facilis? *Din.* Frugis oblatæ parum
Libaſſe ſimula. *H.* Turpe ſimulabo ſcelus?
Priùs ferini gutturis fiam cibus,
Prius eſca volucrum, præda flammarum priùs,
Et Cerberi ſaturabo latrantem famem
Viſceribuſ. *D.* At ſi nulla te tangunt mala,
Famuli miſereat te: recuſantem dapes
Jugulare cogor Patris imperio tui.
Et noſtra Regis cæde ſordeſcet manus?
Me, me miniſtro, regiæ germen domus,
Et ſpem Gothorum, dextra Tortoris metet?
Affuſus etiam genibus advolvor tuis,
Miſerere famuli. *H.* Verba das ſurdis notis,
Et ęſtuoſis Syrtibus fundis preces.
D. Morieris ergo? *H.* Numinis cauſa placet.
D. Hoc flore primo? *H.* Fortiter qui ſic perit
Maturus ævi eſt. *D.* Heù! nec æratæ times
Ictus ſecuris: *H.* Mille ſitienti cruces
Quid eſt ſecuris? *D.* Tanta pœnarum ſitis
Furor videtur. *H.* Eſt quidem mentis furor,
Sed ille cęlo miſſus, & quo non furit
Niſi quiſque ſapiens. I, necem, funus para,
Et ſi quod ultra eſt; cuncta pro Chriſto feram.
Exuberanti gaudio jam mens fluit
Propinqua palmæ, & omnibus vitæ fugam
Votis laceſſit, increpans lethi moram.

SCE-

SCENA V.

Druidas, & Chriſaurus apud Dinoſthenem urgent Hermanegildi ſupplicium.

Dinoſt. Druid. Chriſ.

Dr. ET vivit Hermenegildus? *Ch.* Exoriens tu- (um
Dinoſthenes cadaver horrebit dies;
Si juſſa Regis temnis. *Din.* O'ſtygii canes,
Angues revulſi ſquallidâ Eumenidum comâ,
Jactate palmam ſordidam cęde impiâ:
Bibite Cyclopes, bibite crudivori Popæ,
Explete Regis ſanguine inſanam ſitim.
Divina Nemeſis laneo repit pede;
Venit tamen. *Dr.* Punire feſtinet ſcelus,
Sed jam peractum: non timeo Nemeſim pigrã,
Lentum ſcelus formido. *Ch.* Quid ceſſas? tuo
Eſt obſequendum Principi: inviſum caput
Subice ſecuri, colla percuſſa amputa.

SCENA VI.

Manfredus apud Regem conatur Hermenegildi ſupplicium protrahere: Alaricus verò, & Principes acriùs omnem diſſuadent moram.

Levig. Principes Manſ. Alaric.

M. O'qui Gothorum ſceptra moderaris manu,
Quã ſæpe fulmẽ errat, hoc turres quatit,
Hoc immerentis Alpis incendit jugum,
Et ipſa tranſit ſcelera, dum properat nimis.

Velox minus ſi caderet è nubis ſinu,
Et ſi ſerenâ rueret è cœli plaga,
Ad deſtinatum pergeret fulmen locum.
Cæleſtis errat ira, quod nimium celer,
Terramque ſemper nubilo cœlo petit.
Obnubilavit ira jam totum Patrem,
A non ſereno Rege jam præceps ruit,
Imitata pœna fulmen, in nati caput.
Error timetur. Quid juvat prolem nece
Mactare ſubitâ? cui nocet cædis mora?
Retinetur arcto carceris clauſus ſpecu
Largitor ipſe muneris; cur non priùs
Excutitur Hoſpes! nos quis ex illo vetat
Eruere, ſi quid fraudis in dono latet?
Lev. Manfrede Patris tu times iram; Pater,
Metuit amorem. Donec obtinuit furor
Mea corda ſolus, rege regnata unico,
Habuere pacem corda; nunc bellum movet
Amor furori, dumque decertant ſimul,
Acri dolore vulneror, nec ſum amplius
Mei potens: incertus huc, illuc agor.
Alarice, Regni Principes dubium Patrem
Dirigite: *Al.* Cœptis rebus inſtandum reor.
Remedia ſubita poſcit invadens malum
Præſidia vitæ. Faucibus regni imminent
Romana tela: in viſcera imperii via
Cuicumque facilis militi, & nullas moras,
Obiceſque nullos hoſtis irrumpens timet.
Nec Indegundis Principum auxiliis potens,
Et tot propinqua regibus, caſtra hoſtium
Deſervit unquam. Nota, vulgata eloquor,
Et vera. Qualis nemore marmarico Lea,
Si forte catulos durus eripuit latro;
Mirata vacuos lumine horrendo ſpecus,
Suo labore, non ſuæ raptam fami,

Je-

Jejuna prædam jactat, & ſęvum fremens,
Fremitu, nemus quo terret, & natos vocat,
Sylvam per omnem,quã poteſt,quã nõ poteſt,
Quã ducit ira fertur, ut prolem exigat
A fure, vel ſupplicia. Non aliter furens
Fremet Indegundis, noverit nodo Virum
Ubi ligari ferreo: toto impetu
Effudet iras: arduum, non arduum
Tentabit omne; quod licet, quod non licet
Viduata conjux, æſtuans gemina face,
Amore & odio. Si tamen ſubitum feræ
Eludere velis impetum; hæredis priùs
Nati necem, quam vincla fac hoſtes ſciant.
Juvabit Uxor conjugem; ſed quamdiù
Poteſt juvari: prole cum Regis cadit,
Spes omnis hoſtis: capitis unius nece,
Bellique cauſam tollis, & bellum ſimul.
Pr. 1. Maturat alia, & alia corrumpit mora
Conſilia, ne producta vitientur tamen
Magis cavendum. *Pr.* 2 Differet pęnã Pater,
Quam Natus optat? nonne pro Chriſto necem
Elegit ipſe? Tempus in longum trahi
Cur ergo pœnam poſcis? auferri roga:
Suade reo, ne pereat, â Chriſto fugam.
P. 3. Natum juvas Manfrede, ſed Patri noces
P. 4. Reo noces Alarice, ſed Regem juvas.
M. At ecce propero regiam repetit gradu
Recaredus: *Le.* Ipſe eſt: turbidũ quaſſans caput:
Fertur furentis inſtar, aut etiam furit.

SCENA VII.

Recaredus oſtendit Patri Indegundem catenis oneratam. Levigildus detectis fraudibus. ſententiam revocat, mittitque, qui cædem impediant.

Levigildus cum ſuis. Rec In. Er. Ro.

R. AUdi ſupremos ſupplicis nati ſonos.
Judex ſecuri percuti Fratrem jubes,
Quod Indegundem concipis belli Ducem,
Et proditorem Filium. Rex falleris.
Annuente Recaredo ingreditur Indegũdis cum aliis.
Agnoſcis iſtud vinculis fractum caput?
Agnoſcis? Hoc eſt Genitor, hoc eſt quod times:
Hæc Indegundis illa, quæ turbas movet,
Totumque in arma robur Europæ trahit:
Hæc eſt Amazon militum ducens globos,
Hæc eſt Megæra ventilans odii faces:
Hæc, cujus ora pallor inficiens gravat,
Hæc cujus artus ferreis nodis gemunt,
Tuas in urbes turbinem armorum ciet.
Lev. Quæ monſtra cerno? Prolis hæc uxor meæ?
In. Indigna tanto conjuge, huic caſtis tamen
Ego juncta tædis. *Ro.* Regiæ nuptæ comes,
Ego teſtis adſum. *E.* Certa patefecit nota
Rex Indegundem. *Rec.* Mulierem veſtis tegit
Virilis. Et quis occupat mentem ſtupor?
Quid dubius hæres Genitor & falli times?
Obruere numero teſtium: Frater, Comes
Conjux, Magiſter militum hoc ipſum docent:
Nec ſigna deſunt certa, maternus dolor,
Dataque Matri litteræ, & quidam color

Re-

Regalis oris; res patet, fraudes patent;
Doli patent: ſed Frater interea innocens
Ferri ſub ictu pallet.

Indegundis devoluta ad pedes Levigildi ſupplicat pro Marito.

In. Uxorem probant
Hæ conjugales lacrymæ, & me detegit
Dolor ipſe, teſtis melior. O' Rex, O' Pater
Ignoſce miſeris, Filium ferro necas
Non Proditorem; non in armatos tonat
Non in rebelles ira; ſed pulſos domo,
Profugos inermes, mole curarum gravi,
Et ponderoſis vinculis preſſos ferit;
Illos ferit; Religio quos ſontes facit,
Qui & verberati regium fulmen colunt.

L. Amoris igne ferreum pectus liquet,
Paterna pietas vincit, & valido tremunt
Concuſſa motu corda ... Præcipiti viâ
Properate, juſſu tela, quæ noſtro ruunt,
Niſi vox ruente ſeriùs telo venit,
Arcete. Vivat Filius.

SCENA VIII.

A Dinoſthene pretioſa S. Martyris mors narratur: legitur epiſtola, quę nunciaverat Indegundi mortem Filii.

Dinoſthenes &c.

Di. Vixit tuus (O'Dii
Levigilde Natus ... *Le.* Tam cito? *R.* O' cęlū?
O' Terra · Fratrem prodidi: non reddidi,
Natum Parenti, at victimam immani Popæ.
In. Ah!

In. Ah! mens dolore vincitur, vellet frui
Palmâ, & triumpho Martyris, ſed dum meo
Occurrit animo Carnifex, crucior, premor.
Ego Mariti Carnifex, Tortor mea eſt
Suſpicio: perge, corda dilacera dolor:
Vultus pudendos imbre lacrymarum obrue.
L. Sed nec propinquam cum minabaris necem,
Mutavit animum? dura debuerant priùs
Ratione flecti corda, debueras prece
Mollire pectus. *D.* Saxa Caucaſei jugi,
Non Juvenis animum verba moviſſent mea.
Immo viciſſim candidos reddens ſonos,
Properare vidit fata cum ſapiens Olor
Sic Audientes ore devinxit ſuo
Ut penè verbis cogeret ſeſe ſequi
Minus diſertos: penè nos etiam Deum
Chriſtum coluimus. Igitur aggredimur viri
Mentem timore: Carnifex vultu truci
Rotavit arma: fulgure armorum fero
Tremuit inhorrens carcer; imperterritus
Non tremuit Hermenegildus. Ulteriùs loquî
Non audeo: jam verba Genitori forent
Inſtar ſagittæ. *L.* Vulnera immites ſinus,
Cur parcis iſtis auribus? lacera, fode.
D. Priùs Tonantem poplite inflexo vocat,
Hominumque ſumme, dixit, & Divûm Pater,
Largire menti robur invictum meæ;
Ut imminentem fortis amplectar necem.
Fundo libenter ſanguinem, & vitam tibi,
Regnum libenter deſero, & tandem meâ
Ab Indegunde dividor. Trepido ſono
Poſtrema verba proferens, ſilvit parum;
Frontiſque viſa eſt placida turbari dies
Pietatis umbrâ. Sed ſtatim major, novus,
Totum pererrans corpus effulſit vigor.

Imitabor, inquit, Conjugem, pœnas ferens,
Ut Uxor illas pertulit. Myſtam voca,
Dinoſthenes, latina callentem ſacra.
Rex, quod latroni jura dant, juſſu tuo,
Nato negamus, & Sacerdotem alloqui,
Prohibente te, non potuit.
L. Et quid tunc mali
Mihi imprecatus? *D.* Ut Deo fecit ſatis;
A Patre veniam, dixit, extremam peto:
Ignoſce Genitor, rurſus illacrymans, ait,
Mea vita munus eſt tuum, munus bene
Ferro repoſcis, quod ego, quid tanquã meum,
Ferro tuebar. Hoc parens unum rogo;
Attingo metam lucis, & fati diem,
Cum fallere ſolet nullus, & verbis ineſt
Pondus, fideſque; crede, molitus necem
Non eſt Parenti Filius, non eſt: mihi,
O'Numen, hac mens pura ni culpâ vacat;
Divina Superùm gaudia, & cælum nega.
Dicentis hæc in ore profiliens ſtatim,
Integritatis teſtis effulſit nitor,
Fiduciæque teſtis exarſit calor:
Nitidâque luce miſtus ardoris rubor,
Sic ora pinxit Juvenis, & caſtas genas;
Vultus ut eſſet majus humano decus.
L. Oluctus ingens! ò meus, Fili, dolor! ...
O execrande Genitor! In fœdum caput
Elementa ruite, opprimite vecordem ſenem:
Me, qui Novercæ credidi, me qui pium
Et innocentem Filium oppreſſi efferus:
Me hoſtem meorum, Regię monſtrum domus,
Telluris odium, crimen Hiſpani ſoli,
Probrum Gothorum, generis humani luem.
Cur vita ducit impia ingratas moras?
Inceſto cælum ſpiritu, terras gravo,

Ipſius Orci polluam immundos lacus.
Ro. De Fratre queſtus eſt nihil Frater? *Di.* Nihil.
Recarede, amoris ille fraternì memor,
Erneſte, nec laboris oblitus tui,
Utrique grates egit, & ſociam tori,
Cui nec ſupremos potuit amplexus dare,
Vobis precanti voce commendat ſuam.
Deinde gemuit, ſpiritumque altè ciens,
Fortunate cruor, Chriſto quē fundimus inquit;
Si fidei lumen Fratri, cæcoque Parenti
Impetret. & miſeræ flectat fera corda Novercę.
Ro. Et potuit hunc odiſſe fœmineus furor?
E. Et amputare potuit hoc gladius caput?
Di. Poſt hæc ſerenâ fronte lictorum manum
Intuitus; ecce ſyderum excelſam viam
Deſideranti panditis: vobis polum,
Vobis ſodales debeo æthereas domos.
Ergo agite, non vos odia meruiſtis mea,
Amore digni: cædis Authores amo:
Habeoque grates. Dixit, & ſternens humi
Regale corpus, genua complexu petit
Tortoris, & cruore maculandos pedes
Exoſculatur ore. Flevit Carnifex,
Omnes Miniſtri flevimus; ſolus ſui
Securus Hermenegildus in vitæ ultimo
Riſit periclo. Dexterâ cœpit ſuâ
Nudare collum, & fletus exoritur novus;
Nam lævo ab humero veſte diducta parum,
Membris adhærens intimis, hirtum, aſperum,
Mordax cilicium vidimus... Tandem caput
Inclinat, ambas atque componens manus,
Oculiſque cęlum contuens, votis petens;
Enſis ſub ictu firmus, immotus ſtetit:
JESUM vocantis unicus motus fuit.
Iu. Manes beati Conjugis, veniam date

La-

Lacrymis, iniquũ eſt flere, dum ſuperũ domũ,
Et regna petitis gaudii; at preſſus diu,
Largè per ora fletús injuſſus ruit.
Re. Levium dolorum fletus eſt, gravium ſtupor.
Abſorbet animum cæca tempeſtas meum,
Hebetatque ſenſus luctũi tanto impares.
Le. Pudet mei me: vel tu Aquilo, vel tu Note,
Pennâ volucri rebus humanis procul,
Mundo, & die; per ſaxa, per canas nives,
Per denſa nemorum, perque præruptas ſpecus:
Ultra mare, ultra terminos mundi ultimi,
Ultraque, quod ſol aſpicit, Regem rape;
Rape ubi Parentis lateat horrendum ſcelus:
Ubi nemo facinus diſcat, & nemo ſciat.
Aut lateat, aut plectatur. Immanes feręę.
Sive orba Tigris, ſive jejunus Leo,
Opaca luſtra linquite, & cæcum nemus.
Quid in minores perditis prædas famem?
Properate in Aulam. Si feris feritas placet,
Spectate Patrem, ſi feras ſtimulat gula,
Lacerate Regem; en unguibus veſtris parem,
Dignamq; prędam faucibus. Nondum audior?
Dehiſce tellus. (Petere fulmineas faces
Non audeo, rogare me cęlum pudet.)
Dehiſce tellus, pande tenebroſos ſinus,
Umbriſque totis noctis æternæ tege,
Acheronte toto vindica infandum nefas.
Ego turbo violens, regii germen tori,
Ego rogus ardens ſanguinis rivum mei,
Ego cæca nubes, lucidum regni jubar,
Ego cruentus perdidi Natum Pater.
Et huic Parenti, & turbini, & nubi, & rogo
Ignava tellus parcit, & ſegnis fera?
Ah rigida, ſæva, ferrea, exciſo ſinu
Crepate corda: ſponte, quas crimen meret,
Su-

Subite pœnas :

Din. Siſte furibundum impetum,
Æſtuſque mentis tempera. Rex litteras
Functi ſub ulnas Juvenis inventas vide.

Le. Tibi Indegundis ſcribit.

In. En clades novas :
Triſtis papyrus Filii funus mei,
Tui Nepotis nunciat.

Lev. Periit Nepos ?
Etiam reliquias prolis amiſi Pater ! . . :
Sucumbe virtus cladibus tantis minor :
Moriamur anime, quas & ærumnas nequit
Superare fortis pugna, vincamus fugâ.
Omnia, & ab omni parte Levigildum petunt
Severa fata, cuncta conjurant mala
In me nocentem : Filio ſpolior Parens,
Avus Nepote, poſteris feſſus ſenex,
A me peremptis ; Liberis Mater, viro
Viduata Conjux, eloquere, cujus jacet
Extinctus infans ſcelere ? ſi potuit Parens
Mactare natum, potuit occidi quoque
Ab Avo Nepos: expone, quod chartæ docent :

Pr. A. Diſceſſus eſt viſa tuos agnoſcere proles,
Et doluiſſe: febri cœpit violentius uri;
Quæ medicas ſuperans artes, ardore maligno
Arida combuſſit puerilis ſtamina vitæ . . .

SCE-

SCENA ULTIMA.

Apparet è nube candidâque inveſte Anima pueri: ſolatur præcipuè Matrem Indegundem, & omnes invitat ad exornadum Patris ſui prçclariſſimiMartyris funus. . .

Anima Pueri .

Vivo Parens. . . Vitæ melioris perfruor aurâ,
Sedibus adſcriptus ſuperũ: depellite luctus,
Nuncius ipſe Patris venio : tenet ille beati
Ætheras Regni ſedes, palmâque decorus,
Sub pedibus calcat radiantis ſyderis aurum.
Quid juvat in triſtes effundere lumina fletus?
Ignoſcit Patri Genitor, Fratriſque potenti
In melius verſam recreabit lumine mentem.
Ite citi, tumuloque ſuper conſpergite flores,
Thure vaporetur regalis Martyris urna.
Reddite virtuti ſua præmia. Se meus ecce
Luce coronatum purâ, radiiſque Leandro
Spectandum Genitor præbet, vultuq; ſereno
Hæc eadem mandat: properate, videbitis illuc
Sydereas rutilare faces, deſcendere cęlum,
Et dulces liquidum reſonare per äera voces!

Recedit Anima, cum Mater Filium amplexu petit.

In. Mane parumper . . . Matris amplexus fugis?
O Nate nate, blande, ſed nimium fugax. . .
Pulchro nites ſplendore, ſed nimium brevi . .
Jucunda promis verba, ſed nimium citò.

Leo. Hæc unde ſubita naſcitur cordis quies!
In quod bonum tranſcribor, ex tanto malo?
Quis mollit iras intus, & preſſum levat

Mœ-

Mœrote patrium pectus? En tandem fluunt
Per ora lacrymæ: quas tenuit ingens dolor,
Pietas recludit: fletibus vultum rigo,
Sed non amaris. *Re.* Ergo quò cęlum vocat
Celeres eamus: juſta ſolvamus pii
Fratri. *In.* Marito. *Rod.* Martyri.
Lev. Nato. *Er.* Duci...

FINIS.

118

ROMÆ, MDCCV.

Ex Typographia Cajetani Zenobii

Superiorum permiſſu.